

DE CON  
SCRIBENDIS  
EPISTOLIS.

IOAN. LUDOVICI VIVIS

Valentini Libellus uerè aureus.

D. ERASMI ROTERODA  
mi Compendium, postremo ab  
eodem recognitum.

CONRADI CELTIS  
Methodus.

CHRISTOPHORI HEGEN  
dorphini Methodus.

Omnia studiose excusa, ac INDICE aucti.

TIGVRI EXCVDEBAT  
Froschouerus.

De Ludovico Vire vid:  
Keckermann. Praeognit. Log.

G  
C  
M 1665

IOANNIS LUDOVICI VIVIS DE CONSCRIBENDIS  
epistolis, ad Idiaqueum à  
secretis Caroli V.



V V M instituerem Idiaqueum, opusculum de Epistolis componendis edere, quarum permagnus est usus in omnes uitæ partes, uisum est mihi tuo nomine inscribere: nō quod his meis præceptis ipse indiges, qui præceptores facultatis huius ac ducēs habes Ciceronem & Plinium: quorum uestigij felicissime insīstis, magna cum admiratione omnium, qui sciunt, quām breui tempore, quod in Latinis literis concupieras, sis assēcutus: Sed quia nemini magis uidetur ea tractatio congruere, quām ei cui sunt quotidie permultæ maximis de rebus Latinæ epistolæ cum tuo ipsius, tum Caroli Cæsaris nomine conscribenda: deniq; pro nostra coniunctissima amicitia et uoluntate mutua, quicquid ab altero proficiatur, non potest non esse alteri longe gratissimum. Epistola est sermo absentium per literas: in hoc enim ea est reperta, ut conceptus animi, et cogitata aliorum ad alios fidati mandati interpres & nuncia perferat. Epistolarum usus est, inquit D. Ambroſius ad Sabinum, ut disiuncti loco

IO. LVDO. VIVIS

rum interuersallis, effectu adhaeramus, in quibus inter absentes imago resulget praesentiae, et collocatio scripta separatos copulat, in quibus etiam cum amico miscemus animum, et mentem ei nostram infundimus; sic ille. Dicta est Gracis à mittendo iuris solū, ceu quis dicat missoriam, vocabulo non recepto. Nam inter praesentes nihil opus est epistolæ, nisi forte si quid certis præscriptisque acturus uerbis, ut Suetonius Cesarrem Augustum resert sermones cum singulis, etiā cum Liuia sua grauiores, non nisi scriptos, et libello habere solitum, ne plus minūsue loqueretur ex tempore quam oporteret: et arrogansissimus ille dominus Romæ nihil unquam cum seruis egit, nisi nutibus, aut de scripto, sicuti est apud Tacitum. Excogitati quoque codicilli inter homines eadē in urbe ac uicinia, sed quibus uisere inter se parum uel placebat, uel licebat, aut certe commodius scriptis agebatur res: quorum codicillorum frequens est apud Ciceronem. Tacitum, et alios mentio. Antiquissimæ epistola in hoc unum paratae erant, ut aliquid absenti nunciarent de re publica aut priuata, quid actum, quid futurum, quid gereretur, quid uellent fieri, aut secus. Cuiusmodi uidemus esse Ciceronianas, et precipue ad T. Atticum. Deinceps omnia, que dici, queque scribi possent, sub epistole ambitum uenerunt. Cicerio ad Curionem: Epistolarum, inquit, genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum,

tissimum, cuius causa res ipsa inuenta est, ut certiores faceremus absentes, si quid eos scire aut nostra aut ipso rum interesseret. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ magnopere me delectant: unum familiare & iocum, alterum severum & graue. Itaq; illa uera est & germana epistola, per quam significamus alicui, id quod in negotijs uel eius interest scire, uel nostra: quales sunt propemodum nunciatoriae, petitoriae, commendatitiae, consultoriae, admonitoriae: & si quæ sunt eius generis, quæ uicem absentiae scribenis impleant. Additæ sunt postea consolatoriae, conciliatoriae, præceptoriae, dispu Disputas  
tatoriae de omni argumento philosophiae, iuris, antiqui toriae.  
tatis, omnium deniq; disciplinarum, atq; earum rerum,  
quæ descripto inter maxime præsentes agerentur: sic  
à Platone de Philosophia scribitur ad Dionysium &  
alios, à Seneca ad Lucilium, à Hieronymo, Ambrosio,  
Augustino, Cypriano, de rebus sacris ad uarios: citan-  
tur Catonis Censorij, & multorum iurisconsultorum  
libri, de quæsitis aut responsis per epistolam. Nolo in  
præsentia differere, quā late nomen epistole exten-  
dendum sit, sed certe si recipimus, ut quicquid saluta-  
tionem præsert, epistola dicatur: quid causæ erit, quim  
libri Tusculanarum questionum Ciceronis, aut de Fi-  
nibus, epistole nominentur ad Brutum & de Senectute  
uero & Amicitia, ad Atticum: de Officijs, ad Mara-  
cum filium: uel si orationi pro Milone, aut in Verrem,

I O . L V D O . V I V I S

salutationem præponas, ad iudices, epistole sint? sed non sit ideo uir ea fœmina, que sumit fœmoralia, aut enī cingitur ita non omnis liber fit epistola, cui præposita est salutatio, nisi naturam & ingenium sumat epistolæ, quam statim demonstrabimus. Bene Plinius Cæcilius, Aliud est historiam scribere, aliud epistolam significans in natura illarum esse discrimen.

D E I N V E N T I O N E

Epistole.

Cautio præ  
dientiae, non  
artis. Inventionem epistolarum cum aliqua parte dispositionis coniungemus, præcipue in exordijs: propterea quod hec sè penumero disiungi non possunt commode, eadem enim sunt locis aliquot de utrisq; precepta: & pleriq; epistolas scripturi, maxime circa principia conflictantur, tanquam inter scopulos, facileq; reliquum cursum conficerent, si modo quassissent ex ambagibus portus. Initio illud præsandum est, inventionem omnem non solum epistole, uerum cuiuscunq; alterius generis, sermonis, orationisue, ut etiam in his Prudentia. que loquimur, hauid penitus artis esse, sed prudenter: que paritur ex ingenio, memoria, iudicio, atq; usurrum: à nobis uero tradendis artibus adiuuatur, non perficitur: admonetur, non omnino instituitur, ne quis se uel hoc loco, uel in alijs, aut à me ipso, aut ab alio quo piam scriptore aut magistro plenam cognitionem comprehendentia.

ponendarum epistolarum, alteriusq; omnino generis orationis accepturum speret. Sunt enim qui præcepta damnent tanquam inutilia, quæ non statim ex stupido acutum reddant, peritum ex rudi. Itaq; sit hoc primum præceptum, adiuuari à nobis inuentionem, & promaueri hisce formulæ, que nec ipsæ uirium sunt aliquid habituæ, nisi usus atq; exercitatio accesserit. Hæc præfatus, ad rem uenio.

Scripturus epistolam consideret, quis, ex cui scribat, & quibus de rebus, qui simus nos ad illum, qui ille in se: aut enim ignoti sumus, aut noti, amici aut inimici, leuiter seu dubie amici, aut aperte & arcte, parres aut impares: ex hoc uarijs in rebus, genere, fortunis, eruditione, ætate. Tum ille quo genere, plebeius an patritius, honesto an sordido: qua fortuna, summa, magna, mediocri, infima, nulla: quo rerum statu, liber an seruus, opiniosus an obscurus, bonæ an male famæ, otiosus an occupatus, futor aut fator: qua eruditione, magna, mediocri, media, Theologus, Medicus, Philosophus, Jurisconsultus, usurerum an secus: quo ingenio & moribus, tristis an hilaris, remissus an seuerus, placidus an iracundus, humanus an superciliosus, facilis an difficilis, acutus an hebes: hac enim uno mentis intuitu facile percurremus omnia, & momento temporis. Frequenter enim excusandum est, quod ignotus scribas, aut leuiter amicus, aut tanto uiro, aut ei in quæ

Scripturo  
epistolam  
quæ consi-  
deranda.

forsitan crederis inimico esse animo: hoc primum pur-  
 gabis. Nam ita fert natura ipsa nostri ingenij, ut reso-  
 luta epistola, & lecto scribentis nomine, admiretur is  
 cui scribitur, si ab ignoto, si a leuiter charo, si ab ini-  
 mico mittatur: ita uel impudentiae, uel temeritatis, uel  
 arrogantiae, uel dementiae scribentem apud animum  
 suum statim initio damnat, quo sit ut non tantum asper-  
 netur literas, sed autorem ipsum oderit: idq; eo acrius,  
 si superciliosus sit, aut morosus, & in eum ipsum odij  
 affectum procluvis, ergo occurrentum. Nam & in ipso  
 foro noui oratores re ipsa cogebantur ante alia omnia  
 de se loqui, cur dicerent: sic Cicero pro Sex. Roscio  
 Amerino, quam orationem habuit ad iudices primam:  
 Epistola principium & pro lege Manilia, quæ fuit ad populum prima,  
 sumendum igitur principium uel ex te, aut rebus tuis  
 uel ex illo, aut rebus eius: uel ex re ipsa, de qua scribis:  
 idq; tanquam exordio. Ex te ad hunc ferè modum:  
 Semper te amasse & coluisse illum, ubiq; optimè et sen-  
 sisse de illo, & dixisse: dolere quod tandem illi ignotus,  
 aut tenuiter notus fueris, quem ita sis semper de inge-  
 nio ac uirtute admiratus: aut dolere, quod in animum  
 eius inciderit ea suspicio de tua in eum uoluntate, quum  
 tu amicitiam illam semper inter precipua tua bona nu-  
 meraris: allegabis, si potes, documentum aliquod ami-  
 cae tuae uoluntatis erga illum: culpam reiijcies in eos, qui  
 uestræ amicitiae inuiderint: aut in illum ipsum scilicet,  
 sed

sed modeste, & sine asperitate: aut in tuam impruden-  
tiam ac etatem, aut aperte culpam fateberis, si ita res  
poscat: penitere te, & daturum operā, ut re ipsa sen-  
tiat quemadmodum sis iam affectus erga illum. A re-  
bus tuis, amicitiam communem cum aliquo demonstra-  
bis, aut paternam. Ab illo, ingenium, literas, humani-  
tatem, uirtutes, quas es in eo admiratus, adduxisse te ad  
scribendum, ut in conciliatorijs: ignotus es, sed ille om-  
nes incredibili humanitate complectitur, aut cupiditate  
benefaciendi: tum literæ eius, aut prudentia effecerūt,  
ne ipse aut cuiquam esse poscit ignotus, aut quenquam  
putare debeat ignotum sibi, aut ad se nihil pertinere.  
Idem de potentia, ut duci, ut regi, ad quem tanq; ad a-  
sylum accurrendum est: nec discernendum quis notus,  
quis ignotus. Omnes sunt satis noti, qui se illius curæ  
crediderunt. Efficiendum potissimum, ut magis uidea-  
mur uirtutibus illius adducti, quam allicti fortuna: &  
in commemoratione uirtutum ne sit species ulla assen-  
tationis, sed id ostendemus nos habere compertum, uel  
in nobis, si quo affecti sumus beneficio ab illo, uel au-  
disce ab ijs qui experti sunt, uel cognouisse nos ipsos,  
uel uidisse. Ita testimonium aliquod afferemus ex ope-  
re: ut in uiris doctis, ex libris ab eis editis, orationibus  
habitibus, prælectionibus, disputationibus: & ea maxi-  
me commemorabimus illius bona, quæ ad rem, de qua  
scripturi sumus, aptissima fuerint: ut clementiam, si

IO. L V D O. V I V I S

petimus ueniam: humanitatem, si amicitiam: liberalia-  
tatem, si beneficium: prudentiam & probitatem, si con-  
siliūm. A rebus ipsis, uelut à communī amicitia, à pa-  
terna: à rebus de quibus scribimus, ut rem esse hone-  
stam, doctam, argutam, ideo dignam de qua illiscriba-  
tur: aut necessariam, ideo coactos esse nos ad eum tan-  
quam ad aram configere: uelut ob fortunas ad diuitem,  
ob iustitiam ad iudicem, ad Regem, ad Magistratum:  
maluisse nos uicij cuiusuis suspicionem subire, tame-  
nobis grauiissimam, in animo duntaxat illius, quem nos  
tanti facimus, quam non scribere: necessitatem fortis-  
simum esse telum, cui nemo resistat: & honestius est,  
quum id sit pro altero: aut rem esse eiusmodi, ut quoniam  
eam pernoverit, non te uel temerariū iudicet qui scrip-  
seris, uel confidentem, sed uirum hauquaquam malū,  
& in rebus bonis animosum: contra potius iudicaturus  
esset secordem te, si neglexisses. Est etiam apud ami-  
cum excusandum, cur de re aliqua scribas, de quapote-  
ras corā agere. Cicero Luccio: Coram me tecum eadē  
hac agere sepe conantem, deterruit pudor quidam pe-  
niē subrusticus, que nunc exponam absens audacius: e-  
pistola enim non erubescit. Hec est prima coitio, que,  
ut ille dicit in Comœdia, accerrima est: cetera sunt  
proniora post hanc, & magis expedita. Ideo prima  
epistola uehementer est elaborandum, ne apud nouum  
erga nos animum in suspicionem ueniantur cuiusquam  
uitij

uitij, aut impudentiae, aut arrogancie, aut loquacitatis,  
aut ostentationis, aut uaficici, aut putidae affectatio=  
nis, aut immodecae assentationis & parasiticæ, aut scur= 1000  
rilitatis, aut imperitiae, aut imprudentiae. Plurimum  
enim in prima compactione positum est, sicut in uasis  
teneris adhuc & mollibus, quum coalescunt. Nec pu= 1000  
to quenquam admonendum esse, non omnia omnibus  
congruere: uidendum cui possis admirationem de ipso  
tuam allegare, cui paternum hospitium, cui curam sub= 1000  
ditorum. Quod si nihil habes, quare scribas excusan= 1000  
dum, tum contemplabere, qui sit ille cui scribis: nam  
hinc tota epistola temperatur. Ad fortunatum & super= 1000  
ciliosum, reuerentius, modo absit assentatio: ad moro= 1000  
sum & asperum, parcius & leuius: ad rudem aut hebe= 1000  
tem, apertius: ad ingeniosum, accuratius, & maiore  
appartus si eo delectatur, & sic se uenerari arguit: do= 1000  
cto, ad antiquitatem accommodatus: ad occupatum bre= 1000  
uiter, ad ociosum fusi, si rem non ingratam facturus  
es: ad hilarem leti, ad humanum minus scrupulose &  
anxiæ, ad severū subtriste, ad remissum iocose, ad moe= 1000  
stum mœste: ad amicum certum aperte & cum magna  
fidutia, ad incertum dubie: sed sic, ut se credat diligi,  
& diligas reuera: hoc lex naturæ, hoc melior naturæ  
lege Christus iubet: ita ut ingratitudinis ille se se dama= 1000  
net merito, ni redamet: ad inimicum, ut cogites amicum  
posse fieri, et apertus semper paratusque maneat redditus

IO. L V D O. V I V I S

in gratiam: ut absit omnis asperitas, et mansuetudinem  
quandam animi exeras etiam in mimicum: Et presta-  
bit meminisse professionis nostrae, qua uetamur quen-  
quam odisse, ita ut emendatum illum ostendas cupere  
te, non perditum: Et uicium odisse, amare hominem:  
ad parem et charum, simpliciter ac familiariter: ad mi-  
nus familiarem, cauius et comiter, citra deiectionem:  
ad inferiorem, humane, ut non uidearis loqui ex alto,  
sed ex aequo, uel infimis: hoc boni mores suadent, hos  
pietas sacrosancta præcipit: exempla erunt usu facilita.

Omniu[m] tollendum est evita genus illud epistolaru[m] fal-  
satoriz[em] Epistolæ a lax, insulsum, ineptum, quo signa omnia uoluntatum  
sunt aulicæ confunduntur: adeò blandum et assentatorium, ut nul-  
lo penitus modo scribentis poscit animus dignosci: qua-  
les sunt epistolæ, quæ nominantur aulicæ, et beneedu-  
cate: nam humanus cogitatus tanta mole corporis con-  
textus, impenetrabilis est, profertur quadatenus sermo-  
ne: qd si hic quoq[ue] factus sit penitus et contextus, quid  
reliquum sit ad hominem noscendum? qualis erit homi-  
num communicatio, et societas inter se, quum nemo  
beneuolum et maleuolum distinguet, et lupum ad se re-  
cipiet pro ouicula: aut hanc fugiet, lupi sequitiam formi-  
das: sed hec alterius sunt instituti. la de rebus epistola.

D E R E B V S E P I S T O L A R V M.

E pistola quascunque res potest continere: sed nos  
propius ad rationem præceptorum in aliquot  
cam

eam genera partiemur: pingui quidem & rudi Miner-  
 ua, sed ad captum tyronum appositè. Nam uel de rebus  
 ad nos spectatibus loquimur, uel ad eum cui scribimus,  
 uel ad utrūq;, uel de alienis. Sunt in nobis, ut in omnib.  
 hominibus, animus & corpus: sunt externa. In animo, Animi res.  
 mens: in qua iudicium, sagacitas, ingeniu: & in hoc acu-  
 men, celeritas, hebetudo, tarditas, eruditio, ruditas, me-  
 moria, thesaurus eruditionis et rerum omniū quae uidi-  
 mus, quae audiuimus, deniq; aliquo cepimus sensu, siue  
 exteriori, siue interiori: in eadē facilitas, difficultas, fir-  
 mitas, imbecillitas: est etiā uoluntas, in qua expetitiones  
 & fugae rerum, tum bonarū tum malarum: sub his par-  
 tibus affectus leti in re præsenti, & tristes, & utrique  
 in re futura & præterita. In corpore, quae ad extremā Corpo-  
ritis res.  
 cutē, color, species, aut deformitas: quae in neruis, robur  
 aut infirmitas: quae in intimis, ualetudo: quae ad totum,  
 pulchritudo aut foeditas: tum quae ad id sustentandū, ui-  
 cus. Extrā nos sunt pecunie, uestimenta, deniq; omnia Externa.  
 quae possidentur: honor, dignitas, genus, acta, amici,  
 patria, inimici, infamia, et post nos posteritas. Ergo epi-  
 stola uel ad nos pertinet, in cōmemoratiōe alicuius rei,  
 ex ijs quae diximus: uelut in ingenio, enarratio nostrorū  
 studiorū: in memoria, gratiarū habitio, uel actio: in uo-  
 lūtate, explicatio morū: in affectibus, si qua res sumus cō-  
 moti: in corpore qua ualetudine: in externis qua fortu-  
 na, quid amici pro nobis egerint, aut nō egerint, aut mi-

IO. L V D O. V I V I S

mici nocuerint aut tentarint. Itaq; uel aliquid cupimus  
in ingenio, sicut auxilium eruditioni aut prudentie; in  
memoria, cognitioni rerum; in uoluntate, moribus aut  
pietati, quæ sunt cōsultorioꝝ; in affectibus, benevolentia  
conciliare, quæ est conciliatoria; aut fovere aut augere  
conseruatam, quæ est officiosa; aut querelam uel indi-  
gnationem apud illū effundimus. In corpore remedii,  
aut conseruationem ualeitudinis, aut firmitatis; uel per-  
tinet ad uictum, quæ sunt partim ex cōsultorioꝝ, par-  
tim ex petitorioꝝ.

Cōsultorioꝝ.

aut iuris

Petitorioꝝ.

Commenda-  
tuia.

Pāegyrica

Alienæ.

In rebus externis, omnes quibus ali-  
quid cupimus, uocantur Petitorioꝝ, quæ de pecunia, di-  
gnitate, honore, contra inimicum, si auxilium impli-  
ratur; pro amico autem, nominatur Commendatioꝝ.  
In illo cui scribimus aut aliquid eius narramus tantum,  
aut etiam laudamus, quæ est Panegyrica; aut ad uolup-  
tatem, quam iocanur, aut fabellam referimus, que il-  
lum exhilarat, aut ad commodum eius pertinet; quales  
sunt præceptorioꝝ, cōsultorioꝝ, hortatorioꝝ, admonito-  
rioꝝ, castigatorioꝝ, gratificatorioꝝ, de rebus omnibus, de  
ingenio, de memoria, de corpore & rebus eius: de ex-  
ternis, quæ sunt consolatoria & incitatoria, quæ ad  
affectus tendunt, & alia quibus affectum aliquem uel  
excitare conamur, uel excitatum sed dare. Ad uirung-  
spectant, quæ de communib[us] rebus, & de communi-  
eruditione, de communib[us] negoꝝ: quales sunt merca-  
torum, exposulatorioꝝ, inueniuntꝝ. Aliene sunt, quam  
refertur

refertur quid gestum uel in aliena domo, uel in aliena  
 republica, quid quis dixerit, egerit, cogitarit: et loquor  
 ad sensum gentilium, nimis iam à nobis receptum atq;  
 approbatum, qui præter sua & amicorum, ciuitatisq;  
 publica, reliqua à se aliena existimabant esse. Quanto  
 rectius, & ad naturam proprius, senex ille in fabula,  
 ad se cruciantem: Homo sum, humani nihil à me alie-  
 num puto. Adminiscuntur uero narrationes illiusmodi  
 omnibus epistolarum generibus, & fiunt mistæ epi-  
 stole. Quæ omnia sint à me dicta uelut exempli gratia.  
 Quis enim aut uniuersa complectatur, aut persequat-  
 tur singula, quæ sunt infinita<sup>s</sup> meritoq; Philosophi ne-  
 garunt de singularibus, utpote innumeris, esse scien-  
 tiam. Sed nos iam usum incipiamus tradere. De nostris  
 rebus dicemus modicè, modestè, pudibundè, parcè, ut  
 absit species omnis arrogantiæ, quam ne in maximis  
 quidem uiris ferimus: uideturq; uelut uenenū, quod res  
 alioqui pulcherrimas superfusum corrumpit. Ad eum-  
 dem modum si de iniuria uel contumelia nostri queri-  
 mur, aut omnino uerba facimus, ne uideamur cæci a-  
 more nostri rapi (quod uitium Græci φιλαυτία πνο-  
 minant, contrarium Apollinis præcepto, quo admone-  
 mur, ut se quisq; norit) sed duci iudicio: ita ne multum  
 detrahamus illi, de quo querimur, dum nobis indulge-  
 mus, ne illud audiamus de Satyra: Quū tua peruidas  
 oculis male lippus inūctis, Cur in amicorū uitium tam

I O. L V D O. V I V I S

cernis acutum, Quam ut aquila, aut serpens Epidaurius? Ita rem non exaggerabimus uerborum atrocitate, sed ciuiliter omnia explicabimus, et mansuete. Scribere uero nos ad illum potissime dicemus, quod pro summo nostro mutuo amore libenter curas omnis, cogitationes, affectus, leta et tristia in illius suum deponimus: id esse nobis unicum leuamen anxietudinum,

Honestares uel media dia quomo do petenda. Si petimus, aut re honestam, aut medium: nam turpem nec decet bonum virum petere, nec petitam concedere: honestam uoco, consilium, amicitia, admonitionem, institutionem; medium uero, et quasi neutram, pecuniam, fauorem, adiumentum pro nobis aut amicis. Adsit in petitione omni pudor (nam inferiorem se facit, quisquis rogat:) sed in alijs rebus, et apud alios, maior aut minor. Rem honestam liberius petemus, et audacius: modo ne admisceatur impudenter, et uelut impriositas quedam, tanquam non roges, sed imperes, quod in Bruto culpat M. Tullius. Ostendes, cur petas, cur ab eo potissimum: nam si causa non sit petendi, uidetur res insolens, aut arrogans, aut inepta et superuanea petere: uelut stuetula, uel auriga, a magno Theologo rogat explicari sibi mysterium trinitatis, ut ab Augustino traditur, uel Hilario. Tum, cur ab eo petas, quod plurimum in ea re ualeat: scire te illum non negare alijs, minus negaturum tibi, amico, beneuolo, admiratori. Ad similem modum in cōciliacione amicitiae effe

Amicitiae  
cōciliatio.

esse te admiratorem lingue Graecæ & Latinæ, quæ  
 quum in illo sint exactissimæ, cupere te esse illi perfa-  
 miliarem, porrò illum talem esse, ut humanitate illi in  
 exhausta uniuersos ad se alliciat & cōplectatur. Apud  
 amicum, aut hominem ualde humanū ac facilem, quiq;  
 solet libenter eiusmodi præbere quæ nos cupimus, bre-  
 uius licebit agere & simplicius, ostensa fiducia ex ami-  
 citia nostra, aut illius moribus: quæ fiducia ualet etiam  
 apud leuiter amicos, ut præ nobis feramus magnam be-  
 neuolentiam, ex qua oritur eiusmodi fiducia. Nam im-  
 dignantur sæpenumero amici, magnis & ambitiosis  
 precibus aliquid ab se amicos contendere: suspicantur  
 enim illos non satis amare, aut confidere amori mutuo.  
 Quod si in rebus honestissimis attingendum, cur pe-  
 tas, & cur ab illo: quanto id magis faciendum est in re  
 media: in qua erit adhibenda cura paulò maior. Sed id Rei m,  
 quoq; ex personis temperandum est, eius ad quem scrii petitio  
 bitur, & qui scribit: quippe si sit pater, aut frater, aut  
 charissimus, aut qui debet, aut qui semper solet: nihil  
 opus est magno uerborum ambitu, nisi res sint muta-  
 te, ut duriora & difficiliora tempora, iactura rei fami-  
 liaris, te factum minus amabilem, aut quid tale. Disci-  
 pulus incunctanter petit à magistro, quæ sunt institutio-  
 nis: priuatus à magistratu, quæ iuris aut æquitatis: do-  
 ctus à potente uel principe, alimenta ocij literarij.  
 Nam si ab his non petat, qui dabunt: sartoresne & rhe-

B

I O. L V D O. V I V I S

darij est tum quod doctus adiuuat principem bonis moni-  
tis, princeps doctum fauore ac pecunia, uterq; quare  
plurimum ualeat. Sin alienor sit, & non adeo fami-  
liaris, ostende aliquid cur dignus sis, qui impetres. Ex-  
te, quoniam amicus, aut quod amasti semper, aut ad il-  
lum maluisti accurrere quam ad altum que muis: cui  
mauis, uel quod tantum amas, uel ob eius probitatem,  
debere hoc tamen beneficium, quam illi alteri: uel  
quod plurimum ei debes, ideo plus uelis debere, quod  
est ingenui (sicut Cic. ait) animi: aut quoniam debere  
omnia graue est, malle te bonis debere, quam indignis,  
ita enim sit leuius: aut si in eum tua ulla extant benefi-  
cia, leuiter admoneas, et parce, citra exprobrationem:  
declarata quamcum te deuiniet, quamam habiturus sis sem-  
per gratiam, quomodo obseruaturus semper tempus,  
ut remunereris, si qua possis: non solere te ingratis  
esse, uel minimis beneficijs, aut officijs, quam ominus  
futurum in hoc tanto aut tali tempore. Nam petenis  
gratitudo uehementer elicit damis benignitatem. Si  
cui opus fuerit, habet ea qua sunt in persona. Petimus  
propter genus, propter patriam, propter communio-  
nem studiorum, propter magistratum, propter amicos, pro-  
pter mimicos, praesertim comunes: hoc se rogaré, quo  
eget, ut communum mimicorum audaciam compescat et  
calumnias refudat, quod est telum acerrimum, animo  
praesertim affecto. Tu ex causa, te hoc petere in aliis  
ta

ta studiorum, liberorum, coniugis, aut amici pauperis.

Ex illo: nosse te liberalitatem eius, praesertim in eos, qui ob eiusmodi caussas petunt; illum scire quid sit studere, quot rebus sit opus, aut quid sit familiam sustinere: ideo didicisse miseris succurrere, non ignarum maliti: deniq; si nihil sit in nobis dignum ob quod petamus, illum certe esse dignum qui det: hoc ei fore pium, honorificum, laudabile, hoc semper studuisse, in hoc subiisse tot labores, parasse tot opes, ut plurimis prodesset. Et hec dicentur ambitioso reuerenter, graui contracte, laetius & hilarius, sic tamen, ut ne nimium miscriam nostram uideamur uelle ostendare, & quasi clamare, dignos esse nos misericordia, ut existimemur imbecille nimis atq; impotenter ferre nostras res asperas: sed obtutis & reluctari, quantum possumus, premi tamen interdum ab illis atq; urgeri: sic enim natura fert, ut minus misereamur eorum, quos abjecere se in aduersitate cernimus, & nimis lamentari suam fortunam, tanquam rem indignissimam patiantur: ita semper honestiores sunt pro alio lachrymae, quam pro nobis ipsis, nisi forte ignosci nobis precamur.

## DE EPISTOLIS

Commendatitj.

**P**ro alio quum petimus, si argumentum est simile superioribus, ad eundem ferè modum tractatur,

Commen- quo docuimus. Commendationis uero haec sunt pre-  
 dationis cepta. Primum omnium, ut dignum ostendamus, hunc  
 præcepta. esse illius gratia & fauore: dignus fit uel ex commen-  
 dato, uel ex nobis qui commendamus, uel ex eo ad quem  
**Ex commē** scribimus. Ex commendato, si demonstramus in eo esse  
 dato.  
 aliquid propter quod mereatur diligi: percurrentem  
 per ea, quæ in persona posui: nempe genus, quia nobis  
 lis, patriam, quia Romanus: ingenium, quia festus,  
 acutus, Græcus, Latinus, Musicus, Philoso: bus, Iheros-  
 logius, vir prudens, & multis in negotijs uersatus: am-  
 mun, quia probus, modestus, moderatus, & cum pri-  
 mis gratias si quid ei beneficeris: tum corpus, quod dagi-  
 lis, celer, formosus, robustus. iam externa, quod prædia-  
 tus, pecuniosus, gratus apud regem, apud multitudi-  
 nem, magistratus. Et accommodata sunt haec moribus,  
 atque usu illius: delectatur cognitione ueteris memoria,  
 hic est eius peritissimus: claritate generis, hic est nobis  
 lis: studio armorum, fortis, robustus, exercitatus: sic non  
 nunquam commendatur nugator nugatori, aleator alea-  
 tori, commessor commissari, compotor compo-  
 tori: habet multos agros, hic agricola: componit,  
 hic optimus librarius: eget ministro, ad manu. hic dili-  
 gens & fidelis, et is qui semper illum dilexit, admir-  
 atus est, appetiuit: natura enim diligimus illos, à quibus  
 amore sumus prouocati. Solem illa addi: talem esse, ut  
 si proprius cognoverit, sit nobis habiturus gratiam,  
 quod

quod talem sibi hominem conciliauimus: non uereri  
 nos, ne mendaces in huius laudibus deprehendamur,  
 neue incutiane nobis aliena peccata pudorem: cautos  
 nos esse in laudando, non consueuisse nisi tales commen-  
 dare: ecquid poeniteat eorum, quos sua commendatio-  
 ne esset complexus: multo minus huius, quin et hunc  
 omnes superaturum: aut non esse hunc huius aut illius  
 similem, commendati quidem, sed commendatione in-  
 dignissimi: in illo cepisse nos documentum, quales de-  
 dum commendari conueniat. Ad eundem modum alias  
 ornamenta, que unusquisque dato exemplo excogitat  
 re sibi poterit, usus quoq; ipse plurima suggester. Ex no Ex nobis.  
 stra parte, si nos ille amat, cui scribimus: nec ficte suffi-  
 ciet aperire, illum cuius causa laboramus, charum no-  
 bis esse, et illius negotium magna curae exponitur se-  
 pe amoris causa, tum ut ille facilius hoc credat: uelut  
 intercedere uetus hospitium, multa ultro et citro bene-  
 ficia uel officia, affectum a nobis beneficijs gratissi-  
 mum se prebuisse: nos eo uti familiariter, compluribus  
 locis profuisse: nonnunquam ut eisdem de rebus ab illo  
 diligatur, et suum iudicium adiungat nostro, præser-  
 tim si quid ille nobis in iudicando tribuit: sin minus, af-  
 feremus testimonium eius cui magnam ille fidem ha-  
 bet: charus est nobis de eloquentia, de ingenio, quod  
 ille, si quid me credit posse in hoc censere, habet in nu-  
 merato: literas Latinas iuxta et Græcas nouit, ut nem

IO. LVDO. VIVIS

nem uideat Erasmus aut Budæus, quem possit huic ante  
ponere, aut etiam conferre. Solent illa quoq; inseri: in  
hoc homine intelligam, quantum me ames, quanti me  
facias: da queso operam, ut hic qui in primum, quam  
maximas mihi pro cōmendatione hac gratias agat, ha-  
beatq; tāc uide credas hanc esse ex uulgaribus commen-  
dationibus: non ut alium quemus tibi cōmendo hunc,  
sed ut ex me genitum commendarem, ideoq; & mea  
ipsius manu hoc epistolæ exaraui, quod facere cōsueui  
rarius: omnes, quibus tecum est negotium futurum, ad  
me accurrunt, quod sciant quanta inter nos benuolen-  
tia intercedat, aut quanci ego te faciam, uel tu me: su-  
spicantur plurimum me apud te ualere, quod ego eos  
credere facile patior: et ne hunc errorcm eximam, qui  
est mihi gratissimus atq; honorificissimus, nemini  
epistolas commendatias negare possum, petenti ad te.  
Habent principes & potentes uiri, signa quedam in-  
ter se, quibus dignoscunt, quam uere & ex animo com-  
mendet, qui scribit: nam sēpe commendationes dantur  
importunis precibus, non amicitiae, aut dignitati per-  
sonæ: nec licet interdum recusare, unde sunt illa, Ro-  
gas rogo, Afficio te molestia, quoniā affectus ipse pri-  
or: tu quid factò sit opus, uideris: multum huic homini  
debes, qui sic cupit tibi esse commendatus, ut odio me  
enecarit, donec id extunderet, tanti scilicet te astimat,  
quum ego diu repugnarim: haec signa epistolaria, &  
Grecis

Grecis olim & Latinis hominibus fuerunt in usu. Græci συνθήματα ήσονταν και nominabant, sicut est apud Gregorum magnum. Cicero etiam ad Q. Vale-  
rium lib. 13. Adiicitur non raro commendatio rei po-  
tius quam hominis, ut quod habeat negotium iustum,  
pium, illi cui commendatur magnificentum, gloriosum, plu-  
rimis utile, Reipublice salutare ac necessarium: nos  
magis laborare in hoc, illius ad quem scribimus cura,  
quam eius quem commendemus: fore eam rem illi hono-  
rificam, aut fructuosam; eo beneficio ingentem ipsi fa-  
uorem ac benevolentiam uel utilitatem parari, aut ipse  
eidem, aut iis quibus optime cupiat, nempe liberis, pro  
pinquis, affiubus, ciuibus. Declarabimus quid possit is  
quem commendamus, suo loco efficere, quid soleat, quid  
eius parentes aut propinqui, quid alij eiusdem ordinis  
aut nationis. Si nos sumus illi cui scribimus charissimi,  
aut non leuis momenti, nequaquam opus est prolixa epi-  
stola, & accurata, breues quidam uelut codicilli, &  
tanquam testificatio iudicij ac uoluntatis nostræ suffi-  
cerint. Si secus, paulo pluribus erit differendum, &  
preces addende, & promissio reponendi beneficij,  
quum usus poscat. Exempla commendatitiarum sunt  
apud Ciceronem & Plinium creberrima.

DE REBUS EIUS AD  
quem scribimus.

**I**N alterius rebus sic semper scribendum, ut uidear  
tur nobis curae esse. si tantummodo narras, nullo

B 4

I O . L V D O . V I V I S

ad eam rem apparatu uel arte opus fuerit, simpliciter  
Laudandi id potest expediri. Sin laudas, uerisimiliter id facito:  
ratio. & ea laudato, quæ sint illi tanquam stimulus ad uirtu-  
tem. Nam inuenire est ingenia nonnulla, quæ laude ad  
preclara opera incitantur, istis adhiberi laudem expe-  
dit: ut ferunt equum plus pinguefcere, si plana manu  
dorsum & clunes eius derulceas, quam pabulo. Sunt  
contra alij, qui accepta laude, uelut mercede, ab opere  
desistunt: illis proderit laudatio, his castigatio uel repre-  
hensio. Sed quum rem illi charam laudamus, licebit no-  
bis esse benignioribus, si tamen ea res existimationino  
stri nocitura non est, nec laudatæ rei, ut filio uel amico.  
Fable, aut gestæ rei narratio, festiuitate condietur,  
ut multum absit à cothurno & figuris historicis; repet-  
leui lapsu, ut placidus riuiulus: non rapietur, ut torress  
loci. nec intonabit classem, etiam si bella referat. Quid  
in iocis sequendum, docuit Cicero lib. de Oratore 2. et  
de Officijs 1. Est & caput apud Quintil. de risu, item  
apud eundem Ciceronem in libris de Oratore. Debet à  
iocis abesse omnis scurrilitas, ne sordidi sint & putidi  
procacitas etiam & petulantia, ne uirulentia sit magis  
quam iocus, neu in miserum & calamitosum simus di-  
caces, néue in probū et grauem uirum: nihil est facilius  
quam in quenam dicta dicere, sed id non est cordati ho-  
minis, et educati ingenue. Debent ergo adesse iocis ele-  
gantia, urbanitas, acumen & facetiae: in quibus est se-  
des.

des risus, nam in alijs admiratio potius est, aut delectatio. Longares est de singulis horum præcipere, & hoc loco, quum eam rem neget Cicero arte tradi posse, quod planè ita est: quippe tametsi paratur non nihil uel exercitatione, uel lectione, tamen maxima pars naturæ est munus: idcirco cognoscat se quisque, & si ad id non est natus, ne tentet quidem: sicutur enim necessario, ut ipse sis ridiculus, si non sint tua. Qua de cauſa Demosthenes, cui putant negatam fuisse hanc facultatem, nunquam quod iocum uideri uellet, orationibus suis admis̄cuit. Et ex facetijs sunt aliae breues, quæ in uerbo uno, uel duobus, certe paucis sunt siæ, quæ dicta nuncupamus: aliae fūsæ in narratione, atque explicatione rei cuiuspiam. Illud prius genus à paucis intelligitur, nisi acuto ingenio, unde uetus illud, Perdidī dictum, puto, non intellexit: posterius istud, imperitis auribus aptius est. Sunt qui iocum nec dicere possint, nec ferre. Et quoniam uel superbia humani ingenij, uel generositate nemo facile fert nouum superiorēm, hæc omnes epistolæ, præceptoria, admonitoria, consultoria, adhortatoria, castigatoria, obiurgatoria, tanquam ex alto loquuntur: ideo considerandum accurate quiscribat, cui, quare. Si receptus superior, nihil necessaria erit præmolitio, aut dulcoratio: tanquam si senex & prudens admoneat puerum, aut præceptor discipulum castig-

B 3

get, uel etiam obiurget; uel pater filium, uel frater na-  
 tum aior fratre munorem, uel pusilliū tutor, uel prin-  
 ceps subditos, aut priuatos magistratus medo superior,  
 Num obiurgari populum Romanum à Censore licebit,  
 à Questore aut Aedile necio an liceret. sed fit inter-  
 dum publici boni grātia, qui est ualidissimus prætex-  
 tis. Si vero par admoneat parem, uel superiorem in-  
 feior, uel par aut inferior in una re, superiorē in alia,  
 uel cōtra, quemadmodum senex probus iuuenem nobi-  
 lem aut locupletem, uel doctus Theologus indoctum  
 Episcopum: hic lenimentis opus erit. Considerandum  
 ergo, ut dixi, quis scribat: unde sumūtur lenimenta: non  
 esse mirandum si senex, & tot annos uersatus in eare,  
 quā de agitur, admoneat iuuenem, sic illum minores  
 se quandoq; admoniturum: se id debere facere pro pu-  
 blico munere, quippe qui sit concionator, aut magistra-  
 tus, aut curio. Tum qui ille cui scribis, non posse te rea-  
 ticere, quū sit amicus paternus, quū sit uelut tuae cure  
 cōmissis, pro necessitudine patris & tua. Ab ingenio:  
 non posse te adductum tāta indoole & acumine ingenij  
 aliter efficere, quin admoneas, quin consulas, quae ad  
 absoluendum numeris omnibus tale ingenium pertinea-  
 ant, desiderari tantum hoc ad summum ingenium: ro-  
 gare te, ut id quoq; præstet, quo magnum quid & ad-  
 mirabile in eo uideamus. Sic in corpore: sō man illius  
 speciosissimam, quae est uelut muta commendatio, im-  
 pulisse

pulisse te, ut cætera uelis uidere conformia, & digna illa pulchritudine, iam corpus & fortunas: uel adductum te miseratione distorti & deformis corporis, ut cupias illum ingenti pulchritudine animi deformitatem corporis pensare, & quasi obtegere: tanto etiam futuram admirabiliorem animi pulchritudinem, quanto fuisse erit in uase foediore: ut pretiosam gemmam in plumbo, thesaurum in fistilibus: sic Aesopum, & Socratem, & Epictetum in maximo pretio fuisse. A rebus uite: optare te, ut tantæ fortunæ respondeat cætera: aut contra, ne desit animus, quum desit fortuna. Ostensio uicij gra  
*Vicij ostensio grauit.*  
 uior est multo. Quidam apertam reprehensionem non ferunt, tectam non sentiunt, laudes figuratas & de suis ipsorum uicijs accipiunt & agnoscunt, tanta est in eis suimet ignoratio. Sunt nonnulli eo acumine, ut omnia quorum dirigantur intelligant: sed reprehendi se tamē nolunt: ali⁹ facile patiuntur reprehendi se atq; obiugari, sed non à quo uis. Planè uarijs ingenij, ut corporibus, uaria est adhibenda medicina: quod animaduertimus etiam ab Apostolis ipsis factitatum, in studio illo tam ardentí obtemperandi Deo, non placendi hominibus. Qui simpliciter potest sanari, cum eo simpliciter agendum. Si laus de uirtute, quam non habet, prodest, laudetur: quales sunt nonnulli Principum et potentū & doctorum atq; ingeniosorum hominum. Si non à quo uis admoneri se patitur, nec tu satis magna autoritate ful-

IO. L V D O. V I V I S

lus, inducas maiorem: dic esse viros graues, qui cum in eo magna & multa bona admirantur, hoc uel illud requirant: esse qui dolcat illum cum exceptione laudari, te uero sibi episse illorum negotium, ut ad eum sententias eorum perferres: quod sit tibi cum ipso necessitudo, quod frequenter scribas, aut quod sis coniunctior, consanguineus, affinis, uestus sodalis, condiscipulus, terraneus, ciuis, subditus, cliens, uestus assecla, aut horum filius, uel alioqui necessarius. Si laudibus insoleat ac sit insanius, atq; ad apertam admonitionem est uelut asinus ad lyram, si omnino curae est tibi eius emendatio, rumpe quod aperire non potes, & disseca quod ne quis dissoluere: simpliciter aperteq; obiurga, tum certe functus fueris tuo munere: aut si periculum ad eundum est, quid amplius aut magnificetius, quam pro optimis caussis. Licebit rationes ostendere, quibus impulsus es ad hoc agendum: ut chirurgi declarant, cur aliquid in agro corpore uerendum aut secandum sit: nihil omnino a te, sed uel ab illo, uel a rebus: quod sit tam charus, quod tibi commendatus, tua curae creditus, uel a parentibus, uel a Christo, uel a ciuitate: ut malis illum tibi inimicum quam non omnino bene monuisse. A rebus: quod illud cui uitium damno sit multis, quam sit episcopus, curio, magistratus, Rex, & in Christiana religione: modo adsit modestia, & præscriptum illud Domini de fraterna correptione, nemo non satis habet

bet iuris in quemuis alium fr̄atrem. N. m si inter eas am  
 gustias uersemur, ut difficile sit gratum temperamen= Consolatio.  
diratio.  
 tum obseruare, habemus Apostolorū exemplū ex scho  
 la Christi, qui rectā ingressi, Deo curabant approbari  
 se, quenq; mortalium off̄enderent. Quod si omni=   
 no profuturus non es, sed magis irritatione tua & tibi  
 nocitus & alijs, consultius erit Camarinam non mo  
 uere, non solum ex gentilium praeceptis, quorum illud  
 est: (Frustra autem niti, neq; al. ud se fatigando nisi o=   
 dium querere, extreme dementia est.) uerū etiā exem  
 plo & dictis seruatoris: non est pr̄etermittendū, quin  
 aliquid semper dulcedinis amaritudini admonitionis ad  
 misceamus, idq; à laudibus illius: cætera adesse abun=   
 de, pr̄eter hoc: dolendū, sic naturā nihil undiq; fecisse  
 absolutum: quis nō misereatur tale uitium in tali inge=   
 nio, aut corpore, aut nobilitate, aut fortunis? Habent  
 consolationes suum locum, ut alia penè omnia, quæ hic  
 diximus: sed quando quidem ex singulis delibamus, de  
 illis quoq; est aliquid attingendum. Sumitur ergo con=   
 solatio, uel ab eo quem consolamur: non esse istius ge=   
 neris, non decere tantum ingenium, ueteris studiosum  
 philosophiæ: non probum & pium, non magistratum,  
 non principē, se afflictare. Velix rebus, amissim rem  
 non tanti esse, ut dolorē afferat: nō esse amissam, sed in=   
 termisam: non perditam, sed profectam: nondum esse  
 amissam penitus & deploratam: sustineamus nos, &

IO. LVD. VIVIS

expectemus exitum, ne, quod sapiens consulit, miseri-  
simus ante tempus: multa aliter ceciderunt, quam me-  
tuebamus: plura sunt que nos territ, quamque urgunt  
ipsum, uelut patrem, filium, aut necessarium affer-  
re: sic moereri suam absentiam, uel casum, uel interitum:  
illi nihil mali contigit, immo liberatum asperis & in-  
suaubus uitae rebus: profectum ad beatitudinem semper  
ternam, ut spes est de uita sancte & pie transacta, uel  
de genere mortis tam religioso: itaque non illius causa  
suscipi dolorem hunc, sed nostra: nee ostendere nos il-  
lum amare, sed nos ipsos: optimum illi fuisse mori, ame-  
quam fieret peior: exosus erat plurimus, aut nusquam  
bis, aegestate, infamia, aut periculum euidentis de his: ma-  
gnus metus de illis moribus: aut iunc oportuniissimum  
mori, quum iucundissimum uiuere: aut eo tempore,  
quum nihil erat amplius uisurus boni propter condicio-  
nem, uel publicae fortunae, uel priuatiae. iam ex compara-  
tione rei cum homine: non esse regis dolere pecuniam  
amissam, à quo animi magnitudinem, contemptum pa-  
cuniae, tanquam ab exemplari quodam ceteros conue-  
nit doceri: uel eum facile recuperatur quod amiserit,  
alios non item: non esse magni uiri, nō philosophi, fra-  
gi humanis casibus, non flere filiorum mortem, quam  
sciat genitos esse mortales, non casum amicorum: pa-  
stremo si gentilis dixit, Placeat homini, quicquid Deo  
placuit, num non aequius est à Christiano cogitari, dici,  
prestari.

Rei cū ho-  
mine com-  
paratio.

præstari? non decet humanam excellentiam inferiorem  
 acere se ijs rebus, quarū natura est domin. et hoc enim  
 est ex regina fieri ancillam. Ex animo eius: superfluuus  
 est dolor, ex quo nullum peti potest remedium: consi-  
 lium unde petitur, uiolentia doloris perturbari. Tunc  
 exempla adducend; eorum, qui sapienter, qui fortiter  
 pertulerūt impetus fortunæ: ne hoc factu uideatur uel  
 impossibile, uel difficile. Sed trāseamus ad ali. Et quæ  
 ad utrung; spectant, eo temperamento tractabuntur,  
 ut erga nostra præstemus modestiam, erga aliena cu-  
 ram, fidem, diligentiam, amorem. Suni tam in hic expo-  
 stulatoriæ, et inuestiue. Expostulamus non rectè esse Expositio-  
landitatio.  
 quid ab aliquo actum, potissime erga nos, aut res no-  
 bis charas; in quo genere imperiosum est, nimis male-  
 factum dicere, et rem atrocitate uerborum insectariæ  
 ciuitatis uero et comitatis, cauissim addere cur que-  
 rar, cur illud recte factum nō sit; et huic seratio con-  
 uertat, ut uelis in posterum non fieri, magisq; solitus  
 uidearis esse de futuro, quam dolere de præterito. Sub  
 expostulatione continetur exprobratio: turpis quidem  
 illa et uix tolerabilis, etiam quum maximè necessaria:  
 ideo auersa est un: Gratiarum à duabus, reliquæ illam  
 spectant, per quod significatur, meminisse debere qui  
 accepit, obliuisci qui dedit. Sed interdu compellit nos  
 ingratitude alieni ad exprobrandum, uel pertractos ne-  
 cessitate, uel dolore. Itaque sic eru moderandas res, ut

Expro-  
bratio.

Gratiarum  
typus.

ne nimium beneficium tuum amplifices: uoluntatem potius et animum be nefaciendi declares ingentem fuisse.  
 Si ita libet, commoueri te quod huic tuo animo animus illius non respondeat, praesertim quum tu egeas, et illi adsit copia gratiae referenda: aut quod non meminerit be neficij, qui tacuerit, qui disimularit, quum de honore, aut commodis tuis ageretur: seu, quod omnium indignissimum est, pro beneficio maleficium reposuerit, qui laeserit adiutus. Expendendum cuiusmodi fuerit beneficium: nam que ad animum spectant, eruditio, conserua, educatione, minora habentur uulgo, quam que ad corpus, aut fortunas: quum maiora sunt reuera, et honestius exprobrentur: maioreque ingratitude se aliquat, qui praceptor aut educator gratiam non refert, si potest, quam qui illi a quo est locupletatus. Illud quoque diligenter cauendum, ne quis uitio communis in estimandis suis beneficijs fallatur. Hoc enim non natura indidit, sed prava consuetudo, ut unicuique sua videantur magna et pulcherrima, aliena non item. In exprobratione minari subtracturum se sua beneficia, non est uiro dignum: sed potius, se non fore ingratis similem, nec illius uitio immutatum iri suam probitatem; sed datum operam, ut non minus posthac sit bonus et beneficus: quin illi etiam benefacturum, quoties existimat beneficijs suis illi fore opus. Inuestigare, si ad insuetationem uicij, aliosque ab eo genere uita deterredos

dos parantur, ferenda sunt: alioqui non video, quid iuet acerba rabie congerere conuictia & maledicta, caninamq; facundiam exercere, iuxta uerbū Appij Clau-  
dij. Ergo mordeat uitia, homini quantum fieri poterit parcat. Interdum propter uitium impetratur homo, pre-  
sertim obtutus, nisi coērceatur, ut impius, ut hæreti-  
cus, tyrannus, latro, ueneficus, scenerator, fur, corru-  
ptor eduliorum, calumniator, seditionis, imperitus, aut malus institutor. Colore hoc excusantur tot orationes

Ciceronis in Pisonem, Gabinium, Verrem, Vatinium, Ciceronis  
[Catilinam, M. Antonium, tot De mosthenis in Philip- & Demo-  
sthenis in-  
pum, Aeschinem, Midiam, idcirco ad ea commoda ui- uectiæ.

deatur dirigi tota oratio, quæ erigere conanur, illo ho-  
mine deiſiendo, uelut nobis charifima ſint, ac curæ  
maxime, ut religio, patria, ciues, literæ, discipline.  
Res quæ ad utrūq; ſpectat, ſicut fide ac ſedulitate ſunt  
tractande, ita & ſcribendæ quoque, ut hæuitutes in  
illis eluceant: quemadmodum nullam conuenit eſſe epi-  
ſtolam, in qua non uirtus aliqua animi, & grata quæ-  
dam indeoles exiſtat, et quaſi ſe proferat alibi ingenuus  
pudor, alibi reuerētia, aliās comitas, aliās humana que-  
dam & moderata grauitas, tum fiducia erga amicum,  
fides, beneuolentia, honesti respectus, etiam aduersus  
inimicos placiditas, & animi quædam æquitas. Vehe-  
menter cauendum eſt, ne quem epiſtola offendamus, id  
nanq; alijsime inſidet: propterea quod epiſtola nuda

Epiſtola ne  
nō offendus.

C

IO. L V D O . V I V I S

est omnino, ac patronis substituta: purgator, lenitor nul-  
lus ei adest: ille autem relegendo auget iudicium, & ma-  
ledictum interpretando fit acerbius: nemoq; est, qui  
nō indulgeat suis doloribus, eosq; multo esse maximos  
arbitretur, ut sua sunt cuique charissima. Sic uidemus  
arctissimas amicitias uno ambiguo epistola uerbo di-  
rempas: quæ à me de rebus medijs sine dicta: nā in ur-  
tute & uicio quid sentirem, dudum aperui. Res alie-  
nas sub narratione licebit comprehendendi.

D E R E S P O N S I O N I B V S.

**D**VO sunt in respondendo spectanda potissimum,  
que scripta sunt ab eo cui respondemus, et quo  
animo. Possunt enim res esse male, aut parum recte in  
animo bono: tum conditum est eiusmodi, ut facile  
condulcoret amaritudinem rerum: laudabitur animus,  
res ipsas pro illo excusabimus: nec res posse nobis mo-  
lestas esse, quarum talis sit fons à quo dimanent, mente  
uidelicet: & leuiter atque amicè admonebimus, ut uer-  
bis illis paulò deinceps circumspectius utatur, ne tam  
integer animus à sinistre interpretantibus per uerba  
parum caute ab eo prolate gratiam suam amittat. Si  
res sint bona, dissimili animo, quid oberit animum ex  
rebus censere? Itaq; dicemus, non dubitare nos de ani-  
mo, quandoquidem indicia eius, nempe res ipsas tales  
intuemur: hic res commendabuntur. Quod factum est  
à Cicerone in epistola quadam ad M. Antonium de rea-  
stitutum

stitutione Sex. Clodij, & de liberis P. Clodij. Res si  
 fint in nostram utilitatem, agemus gratias, & agnosce-  
 mus amici partes, & sapientis consultoris: si in rem il-  
 lius, & de nobis est dicendum, id fiat parce omnino ac  
 modice, nam illud Trasonicum est, Ornamen<sup>t</sup>us uerbis.  
 Conuenit huic loco uerborum quedam comitas: illum  
 cui damus, maiora esse promeritum & dolere nos, quod  
 tam effuse tamq[ue] ambitiose simus rogati: hoc solum fa-  
 cere, quod nihil magis licuit uel per facultatē nostram,  
 uel per illius uolūtatem: quo schemate uititur nonnun-  
 quam Plinius Iunior: ut de Cornelia, & de filia Quin-  
 tilianu, Prorsum de nobis ipsis dicemus modice ac mo-  
 derate, & nostras laudes extenuabimus: ut reuera mor-  
 talium omnium bona peregrina sunt & prætenua;  
 que uero nobis tribuentur, referemus uel in benignita-  
 tem dicentis, uel benevolentiam erga nos: qua habe-  
 mus uicia, hæc esse nostra propria: que autem bona, es-  
 se Domini: magis testabimur nos laudantis probare ani-  
 mum, quam iudicium: haud falso amorem fungi cæcum;  
 probitatem illius omnia æqui boni facere, atque etiam  
 laudare nulla laude digna: quod si is error amicitiam  
 nobis & benevolentiam eiusce uiri conciliarit, serue-  
 tur sanè per nos, neq[ue] exumatur caussa rei adeo nobis  
 grata: malle nos ipsum in eā partem falli, quam in con-  
 trariam refutum sentire. Interdū pudoris est ingenui,  
 nihil penitus ad laudationem respondere, præsertim si

IO. L V D O. V I V I S

qua sunt alia de quibus scribi posse. Si res ad neutra  
spectant aut sint leuiculae, declarabimus gauisos esse  
nos illa cognosse, nisi eiusmodi sint, quae a gratitudinem  
animi cieant, ut de bellis: interim agemus gratas, ut  
D. Bruto Cicero, quod non passus sit etiam leuiculae  
la à se ignorari. Viciissim et nos scribemus ea, quorum  
est ipse cognoscendi auditus: ut literato de literis, alijs  
de bellis, alijs de rebus magnis, inusitatis, ridiculis, ut  
**Inuenientius**  
**quomodo**  
**responden-**  
**dum.**  
erit cuiusq; uel studium, uel ingenium, inuicet etiam ac ma-  
ledice epistolæ, uel in totum respondendum nihil est,  
uel non illico, ubi est redditus: sed sedata commotione il-  
la animi, et refrigerato ardore illo perturbationis: tum  
expendendum, quid obiectatur, et quibus de causis. Si  
merito reprehendimur, non solum parata est uenia, sed  
laus etiam consitenti delictum, et cognoscenti, quem  
licuisset defendere: fin immerto, magna queritur ex  
animi moderatione commendatio, quod non remorde-  
ris morsus: dabitur ratione patet facere, cur quicquam  
uel feceris, uel dixeris: conuicia uero fines præterflue-  
re. Si quis ostendat retineri se modestia Christians, ne  
maledicta regerat, et spectare potius quid se deceat,  
quam quid illum, rem faciet pulcherrimam, modo ita  
seniat, ne aliud gerat clausum corde, aliud ore aper-  
tum. Christus non fallitur, cui mentes nostra sunt per-  
spicuae: nec est quicquam æque generosi pectoris, atque  
mittere iniuria. Christians certe exemplo fit Christi,

C

¶ ingenti mercede, nam sic quoq; remittuntur nostra  
scelerà à Deo. Porrò quemadmodum epistolis modera  
ta quædam comitas suave condimentum præbet, itare  
dundantia comitatum palatis quidem sanis insulsa est  
penitus ac ingrata.

DE PARTIBVS EPI=  
stolæ.

**Q**uod oporteret significari Epistola, & cum  
qui mitteret, & cum cui mitteretur: idcirco  
Latini & Græci omnes statim initio, scribentis, et eius  
cui scribebat, nomen ponebant: prius eius qui scribe-  
ret, hoc enim natura prius est, indicari quis faciat, quā  
cui. Nam salutationem illam, Parmenonem summum  
suum plurimi salute impertit Gnaþo: uel metrum excu-  
sat, uel parasitica consuetudo: quæ etiam illic, sicut in  
alijs omnibus, adrisum captandum ludebat. Donatus  
comicum esse dicit, ac festiuum, & parasiticæ elegan-  
tiæ. Sic etiam in Persa Plauti: Salutem dicit Toxilo Ti-  
marchides, & familie. Nec minus est parasiticum, Do-  
mitiano Martialis S. uel certè insolentiâ arrogan-  
tiæ principis, qui id exigebat. Excusat Ausonius ad  
Paulinum, quod nomen illius præposuisset suo: Paulino  
Ausonius, metrū sic suasit ut esses Tu prior, & nomen  
prægrederere meum. Nomen in calce epistolæ subscri-  
bere, natum est ex subscriptionibus, quas olim princi-  
pes addebant diplomatis: quarum meminit Suetonius

Epistola  
comitas.

Epistola  
rum sub-  
scriptio.

in Nerone: post ubi acrius inuasit animos ostentatio  
nubilitatis, unusquisq; affectauit uideri ortus regio san-  
guine, et regios mores usurpare tanquam sibi gemi-  
les et patrios. Alij existimant moderationis esse, po-  
stremo se loco nominari: quam fatue? quasi minus ho-  
nestum sit, quicquid ultimum. Nonne animo legemis  
primum omnium occurrit, qui scribit: quod si penitus  
postremus esse cupit, ne ponat initio uel ego, uel uer-  
bum prime personæ. Sed haec sunt ineptissima, quæ co-  
nantur rerū naturam inuertere: natura enim primum  
in quoconq; opere facientem constituit. Quæso quid  
absurditatis habet, si is primus occurrat oculis, qui  
primus occurrit animo et cogitationi: imò quantum-  
tuncq; abscondas te, et in angulum chartæ secedas, re-  
soluta epistola statim à primo legeris: nisi iam antea  
sciat qui legit, à quo mittatur. Epithetis parcebāt pro-  
sum, addebat solum, si quid muneris gereret et cui  
scribebatur, et quiscribebat. M. Cicero imperator  
Cn. Pompeio Magno Proconsuli. M. Brutus, et C. Caſ-  
sius prætores, M. Antonio Consuli. Cicero decimator  
Philippica literas recitans M. Antonij, Antonius  
Hircio et Caſari: neq; se imperatorem, nec Hircium  
consulem, nec proprætorem Caſarem: satis quidem  
haec scite. Deponere alienum nomen ipse maluit, quam  
illis suum reddere. Ab alijs adiectis abstinebatur pro-  
sum. Itaq; nos usurpabimus nostra, que sunt professio-  
nis,

## Epitheta.

nis, aut functionis: Senatori, Consuli, Quæstori, Episcopo, Presbytero, Curioni: cætera ex prava consuetudine risum potius aut fastidium mouent, quam ornant. Quid quod præstabilius est tantum illum existimari, ut appositis non sit opus: uelut, G. Budæo, Eras. Rotero damo, Th. Moro: in tanta claritudine nominum superflua sunt illa, Vtraq; lingua doctissimo, Theologo summo, uiro clarissimo: neq; enim libris M. Tullij adiicit quisquam, oratoris facundissimi: uel Aristotelis, philosophi acutissimi. Itaque deprehensum est nihil esse grauius, aut decentius, quam ad Cæsarē sine adiectione scribere, aut ad Regem, quod prudentibus et ingenio sis uiris ualde probatur. Quintilianus et Plinius temporibus coepit recipimus, ut omnibus ferè, nisi aperte essent inimici, adderetur SV O. Martialis de charta epi SV O. stolarit: Seu leuiter noto, seu charo missa sodali, Omnes ista suos charta uocare solet. Prisci tantummodo filios, aut uxorem, aut seruos, aut libertos duxerunt suos: ut Cicero, Terentiae sue, Tullie sue, Tironi suo. Sunt inter homines amicitia coniunctissimos quedam inter dum amoris significationes: etenim benevolentia tanquam ignis se penumero cohiberi nequit, quo minus feras se proferat, et patefaciat: ut Gonralus Tamayus Hugutiono unice charo, Idiaqueus Hieronymo Augustino dimidio animi sui, Stracelius Crucio tamen et ut etiam ne hexapito mecum, et quod de amico Aristot. dixit,

C 4

IO. LVDO. VIVIS

alteri ipsi. Exitur ad allusiones ueteris memorie, de fabulis aut historijs petitias. Hier. Ruffaldus Viuionathæ suo, Patus Barchero Achatis suo, Theseo, Pyladi suo. Similes quoq; allusiones ad alia rerum genera pos sunt traxire: Nic. Borbonius Gultelmo Bud. o Varro huius ætatis, Astudillus lo. Gilida alteri Aristotelis: Bonamicus Alciato. i. Vlpiano ipsi Regi. Paulus P. Bembo polyhistori, non multū M. Tullio facundia minori. Velius la. Sadolet M. Catoni integritate prop̄ pari: nā moderandū sunt immodica, penē dixerim alteri Paulo. Quæ si raro ponantur, et ad dignos, tum ab ijs qui credantur posse iudicare, plurimum adferunt autoritatis illi ad quem scribuntur: sumuntur enim ceu quædam testimonia. Sed periculum est, ne hæc sicuti alia omnia honoris signa, uel ambitione, uel peruersitate ingeniorū ad indignos transferantur, & prorsus fidem amittant. Amoris autem notæ magis salutationi, quam superscriptioni congruent: ne frigidæ atq; inceptæ uideantur plesisq; quorum natura fert, ut solis suis capiantur, aliena eis omnia sordeant. Alteræ quoq; illæ existimationis et dignitatis, inuidia sunt obiectæ: quæ res præclaras solita est semper inuidare, ac arrodere. Sed nomina tamen dignitatum, & munerum publicorum, diligentius sunt ad amicos in superscriptione, & explicatius ponenda, quam in salutatione: intus enim nos sumus soli, et grata est utriq; simplex illa, atque extra fucum omnem fami-

Inuidia.  
Dignitatū  
nomina.

familiaritas: foris uero multos habemus spectatores  
 oculos & censores, quibus est satisfaciendum. Sed  
 nos reliqua propositi exequimur. Porro autem ut  
 comitatis est, imo uero humanitatis, in congresibus sa-  
 lutare: ita statim post omnia bene precabantur. Lat-  
 ni optabant salutem: salutem dicit, Salutem P. dicit, ratio.  
 S. dicit P. Græci alias, εῦ πρότερον, & εῦ διάτερον,  
 quasi felicitatem: alias χαίρετε, qui si gaudere. Ro-  
 manus salutem dicit: & initio statim bonum uer-  
 bum Salutis, bonum erat omen sermonis. Pro salute  
 utuntur nonnulli ritu Apostolico gratia & pace Do-  
 mini i E S V: que profecto salutem omnem exupe-  
 rat, nec quicquam potest homini optari salubrius.  
 Licebit nonnunquam & alia precari ex argumen-  
 etiam facilem, prosperum coniugium: sicuti est apud  
 Horatium: Celso gaudere, & bene rem gerere Albi-  
 nouano, Musa rogata refer socio comitiq; Neronis.  
 Eundem ad modum illud & iam uetus: Si uales, bene  
 est: à Seneca conuertitur: Si Philosopharis, bene est:  
 ualere enim hoc demum est: sine hoc æger est ani-  
 mus: corpus quoque, & si magnas habet uires, non  
 aliter quam furiosi aut phrenetici ualidum est: &  
 alia epistola, si uales, & te dignum putas, qui aliquan-  
 do fias tuus, gaudeo. Illa uero manuum oscula pro sa-  
 lute, obedientiam, summissionem, & eiusmodi bar-

C S

IO. L V D O . V I V I S

baricæ sunt uel impericie, uel arrogantie: quid enim illi optas pro salute, ut tu manus illius osculere: egredia profecto salus, & magnopere expetenda. Sunt apud Quid. genera quædam salutationum festiuæ, et ar-  
guta: ut, Quam nisi tu dederis caritura est ipsa salute,  
Mittit Amazonio Cressa puella uiro. Mittit & optat  
amans, quò mittitur, ire salutem. Hoc modo possent  
multæ configi: Salutem dicit, qualem ipse non habet,  
sed optat: Salutem mittit, salutis expers: Salutem mit-  
tit, quæ utinam eò perueniat: quæ poëtis conceduntur  
item adolescentibus, tum affectibus commotis. Viris  
aut grauibus non sunt satis cōgruentes, quos nec decet  
ludere, nec animi motibus percelli. Mirantur nonnulli,  
cur scribens de se tertia utatur persona, & cōtinuo pri-  
ma: ut, Cicero Lentulo salutem dicit: Ego omni officio,  
ac potius pietate erga te cæteris satis facio omnibus: ea  
de cauſa existimant, titulum illum epistole non fuisse  
partem, sed à tergo epistolæ subscribi solitum, ad mo-  
nendum tabellarium, cui nam effet redditurus. Nos ad-  
huc facimus, ideoq; iam multi titulos epistolæ superse-  
dit preponere. Sed fuisse eiusmodi titulos partem epi-  
stolæ pars. stole, & in exordio scriptos, multis & euidentibus  
argumentis potest planū fieri. Primum quoties Cicero,  
Sallustius, Cæsar, Demosthenes, & alij epistolam ali-  
cuius referunt, uel suam uel alienam, sic exordiuntur:  
Antonius Hirio & Cæsari: Lentulus Catilinae salutē:

L. C. 2

L. Catilina Catulo S. Cn. Pompeius L. Domitio S. *λα*  
*στιλευς μακεδόνωρ φίλιππος ἀθηναῖος τῇ βα*  
*λῇ ιψῃ τῷ δῆμῳ χαρέει. Ouidianæ epistolæ idem*  
*habent initium, & si more poëtico uariatum. Quid*  
*attinebat, si illa tabellario scribabantur, in historiæ re-*  
*ferre? quum satis fuisset dicere, epistolam esse illius ad*  
*illum: sed nimirum epistolam integrum uolebant subij-*  
*cere ab initio ad calcem. Cicero de lege Agraria: Is ui*  
*delicet antequam ueniat Pontum, literas ad Cn. Pom-*  
*peium mittet, quarum ego iam exemplum ab istis esse*  
*arbitror. P. Seruilius Rullus tribunus plebis, decemuir,*  
*S. D. Pompeio, Cn. F. non enim credo adscripturum*  
*esse Magno: non uidetur, id quod imminuere lege co-*  
*natur, concessurus. Sed apertissimè primo libro Epist.*  
*Cic. Valerio Iuris consulto S. D. cur enim hoc tibi non*  
*gratificer nescio, præsertim quum his temporibus au-*  
*dacia pro sapientia liceat uti. Non uidetur salutatio po-*  
*sita à tergo, alioqui quomodo id scripsisset Cice. Cur*  
*enim hoc tibi non gratificer? quum nihil adhuc de iuris*  
*prudentia dixisset. Plutarchus in Demosthene scribit,*  
*inuentum in libello Demosthenis initium epistolæ eius ad*  
*Antipatrum regem Macedoniæ, Demosthenes Antipa-*  
*tro: nec aliud quicquam. Liu. libro 34. de epistola Sy-*  
*racusanorū ad Marcellum: Prætores Syracusani Mar-*  
*cello suo S. tum secundum salutem, ut solet, recte eum*  
*atq; ordine fecisse, &c. & in iure ciuili de negotijs ge*

I O. L V D O. V I V I S

sis, Hensenius Apollinaris Iulio Paulo S. Et in summo  
adscribi solitum hunc titulum, declarat Lucianus in pa-  
rasitico: Quoniam illud, inquit, mihi perridiculū vide-  
tur, si in epistolis in summo, quemadmodum solemus,  
scripscrimus, Simonidi parasito. Denique nulla est uete-  
rum epistola, quae non titulum illum habeat, sive ab au-  
tore suo posita, sive ab alio citata. Si is titulus tabella-  
rio erat adscriptus quum mitteretur, certe nihil fuit ne-  
cessē addi, quum ab illo referretur, aut ederetur ab au-  
tore: sed hac de re argumentorū fatis: quae eo adduxi,  
quod non quilibet de plebe, sed docti nonnulli homines  
sunt in contraria sententia, et ita contendunt fuisse,  
quemadmodum ipsi opinantur, solum ob tertiam illam  
personam Dicunt nec considerant, non solitos priscos il-  
los homines nomini suo primam addere personā, etiam  
de se loquentes, sed tertiam: ut in rationibus et con-  
tractibus. P. Scipio fateatur se debere uel accepisse, uel  
recipit datum se, aut quid simile: potius quam, Ego  
P. Scipio fateor. In secutis deinde seculis receptū est, in  
prima persona dici: porrō epistole antiquissimā cōsue-  
tudinem retinuerunt. Sed transeamus iam ad reliqua  
propositi. Fuit olim mos uetus, quem Seneca usque ad su-  
am etatem seruatum scribit, epistolas sic exordiris: Si  
ualeas bene est, ego quoque ualeo. Plinius Cæcilius Fabio  
Iusto S. Olim nullas mihi epistolas mittis: nihil est, in-  
quis, quod scribam: at hoc ipsum scribe, nihil esse quod  
scribas

scribas; uel solum illud, unde incipere priores solebant,  
 Si uales bene est, ego ualeo. Id uarijs modis enuncieba-  
 tur: Si uales, ualeo. Si uales bene est, ego ualeo. Dola-  
 balla Ciceroni: Si uales gaudeo, e quidem ualeo, et Tul-  
 lia nostra recte ualeat: & Cicero, Terentia munus belle  
 habuit, sed certò scio iam conuoluisse eam. L. Luceius  
 Ciceroni: Si uales bene est, ego ualeo sicut soleo, paulò  
 etiam deterius quam soleo. Lepidus Sen. & pop. Ro-  
 mano: Si uos liberiq; uestri ualeatis, bene est, ego quo-  
 que ualeo. Interim non adiicibam quicquam de se, quae  
 non recte ualere uolebant significare, animo præsertim:  
 aut sibi esse curæ illorum salutem, suam non item illis;  
 ut Metellus Ciceronit. Si uales bene est. Cicero Metel-  
 lo: Si tu exercitusq; tuus ualeatis, bene est. Que parti-  
 cula abiit ex usu, sicut illi in orationibus, louem ego o-  
 ptimum Maximum: sed non ita, quin addi possit, & ali-  
 quando debeat, ornetq; epistolam.

## DE ORDINE EPISTOLÆ.

**O**rdo in epistola corpore nullus est certus: pro-  
 ore nata scribendum, et exordiendum undecun-  
 que libuerit: nihil simplicitate iucundius, inelaborata.  
 Cicero, quum narranda habet multa, non est ualde sol-  
 licitus, quod primū faciat, quod secundum: promiscue  
 spargit, & refert, ut ueniunt in mentē: prius ubi est ab-  
 solutum, adiungit quodcūq; est collibitum, ex abrupto.  
 Itaq; & reuocat se crebro, & à se rogat: quid etiam?

I O. L V D O. V I V I S

quid amplius? quid præterea? Ergo sic interdū narrat,  
ut nisi prius rationē cognoris, difficile sit distinguerē,  
quod prius sit, quod posterius. Id uero si quis uelit cui  
tare & narrare distinctius, ex præceptis narrationis  
petat, quemadmodum sit acturus. Iam ueluti quædam  
umcula poteris adiūcere, quæ priora posterioribus con  
iungant: Habes de hoc, accipe nunc de altero: audisti  
de Britannia, audi nūc de Italia; haec tenus de bellis, iam  
ad literas: de Republica satis, nunc de priuata nostra.  
Cicero: Sequere me in campum, ardet ambitus, &c.  
Sed quum ad persuasionem tendit epistola, maiore arti  
ficio erit opus, quod quanam uia exequeris, ex arte su  
mito: quin et à primo sunt iā nobis exposita nōnulla. In  
Responden  
di ordo.

respondendo promptissimum & commodissimum est,  
ordinem eius, cui respondemus, sequi. Sed fit non raro,  
ut expeditat quedam anteverti, sine quibus progreedi  
non posset epistola, & frustra iactarentur multa uerba  
illo impedimento obiecto, quod statim est amoliendum:  
ut si quis in calce, aut medio epistolæ ingratitudinis aut  
maleuoleniae accusetur: huic enim occurrentū est ante  
omnia, nisi forte ex responsione ad alia facilius diluatur  
crimen. Exempli gratia: Garsias Arabianus Nicolao  
Valdaure suo S. Velim cures mihi tapetes aliquos ad  
ornandum cubiculum, Symon à manu meus annumerā  
bit tibi pecuniam, eamq; in rem mittes aliquem ex tuis,  
quo fiat tibi negotium levius. Nam & si mea in te sunt  
officia

officia nonnulla, tu tamen pro me grauaris quicquam  
 facere, nisi ut multo sit leuiſſimum. Valdaura Arabia  
 no ſuo S. Ex quo te Louanij habitare uelle cognoui, qđ  
 uelum tibi bene uertere, non defliti, que ad instruendū  
 tuum cubiculum pertinerent, cogitare: & lintea pro=  
 uidi, de quo teſtis tibi erit tuus Symon: & aulea: tamet  
 ſi tu me uelut ingratitudinis apud animum tuum uel ac=  
 cuſas, uel quod indignius eſt damnaſ: quā ſuſpicionem  
 malim tibi rebus iſpis eximi, quām uerbiſ. Itaq; dabo  
 operam, non ut leuiſſima pro te fuſcipiam, neque enim  
 tu es ita de me incritus: ſed ut leuiſſima mihi fiant, que  
 cunque pro te fuſcepero. Incidit non raro, ut ex occaſione  
 uerbi aut dicti alicuius ad caput aliud reſpondeam  
 muſ longe diſtum, etiam quū priores ſcribimus: hinc  
 uenit in mentem mihi, ex hoc uerbo uel dicto admone=  
 or, ut de hoc aut illo dicam: & quia mentionem fecit  
 de Concilio, ſcito Pontificem & Cæſarem magnis &  
 longis conſultationibus concilium aliquod moliri. Sed  
 ut eſt genus hoc epistolare cum primis liberum, licebit  
 etiam ab ultimis exordiri reſponſum: ut Cicero fecit  
 ad Quim. Cornificium libro epift. 12. Sunt molles qui=  
 dam tranſitus, & lepidi ad continuationē ſequentium,  
 uel eorū que ſis oblitus: Mane paulisper, nam eſt aliud  
 quod adiſciam: non grauabor hoc quoq; adſcribere in  
 tuam, uel Maluende gratiam: queſo ne graueris hoc  
 quoq; legeret: iam iam obſignaturo uenit mihi in men-

IO. LVDO. VIVIS

tem, quod præteritum minimè oportuit: sed quām pē  
nē exciderat mūhi, quod erat præcipuum? quām multa  
scripsi, qui oblitus eram, id quod iure futurum fue-  
rat primum: leue est quod ascribam, sed non omitten-  
dum tamen. Cicero plerūq; nihil horum curat. Ad ex-  
tremum literarum addi solet, si quem aut salutatum aut  
resalutatum uolumus: aut si qui eos, ad quos scribimus,  
aut eorū amicos uel notos salutarēt resalutarēt ue. Ati  
cæ et Pyliæ S. Dionysii uelim saluere iubeas. Teretia ti-  
bi S. D. Pyliæ et puellæ Cæciliæ bellissimæ S. dices. Sal-  
uebis à Cicerone nostro. Cicero tibi P. S. D. Hinc, ut  
digredientes, bene precantur mutuo: id enim humana-  
tas docuit: literarū exitus felix est omen, ut ingressus,  
Græcis est ἐπέσωτο, quasi Valez quod etiam Latini,  
tum & Salue. Catilina apud Salustium, Per filios tuos  
rogatus aueto: puto ex perturbatione animi & tumultu,  
in quo scribebat: quim etiam, Cura aut ualeas, fac  
ualeas: si me amas, ualetidinem tuam cura diligenter:  
Vale etiam atq; etiam: &, Salue mi Tyro. Hæc uete-  
ra: sed illa aptiora usui uitæ, & magis profutura: Chri-  
stum precor, ut quæcumq; egeris, secundet, & felici-  
ter tua omnia finat euenire: seruet te Dominus: pax et  
fauor Christi sit tecum: opto tibi bonam mentem. Ae-  
gidius Calentius reliquit epistola haud sanè absurda,  
lentij epि  
stolæ.  
in quorum calce pro Vale, addit semper congruens ar-  
gumento uerbum: si quem aduocabat, Curre, uola: si  
cui

eui nunciabat lœta, Gaude: si tristia, Plorato. Quidam interdum simile fecerunt ueteres, sed non erat in eis perpetuum, ut in isto, Cicero D. Bruto: Vince, & uale, Fabricius Pyrrho: Tu nisi caueas, iacebis. Sed bene precari est multo decentius et congruentius. Postremo quoniam è re est illum cui scribas, et unde & quando epistolam dederis, cognoscere, locus & tempus ad scribebatur. Locus hoc modo: Datum Lucae, scriptum in castris, Vale ex castris, ex urbe Capua. Data apud Valentiam, in urbe Valentia, Louanijs, Lutetiae, ex rure. Epistolam, inquit Cicero, datam à tribus tabernis: ex castris, ad imam Candauiam. Cicero T. Attico, ex rheda scripsit, & de phasello, Ex tēpore cognoscitur, quæ epistola prior sit, quæ posterior: hinc enim haud raro uoluntatum pendent & sententiarum interpretationes: quemadmodum in edictis, legibus, diplomatis principum. Augustus horas quoque epistolis adscriebat, ut est apud Suetonium, Annos illi consulum nominibus denotabant, quibus fasti signabantur, & acta omnia tum priuata, tum publica. Vnde illud iurisconsultorum, Ne instrumentum fiat sine die & consule. In epistolis amicorum rarius adscribant, nisi rem contineret dignam ob quam id facerent. Athenienses habebant suos ἐρχοντας, Græci Olympiades, alij alias notas temporum. Nec solum tempus prætermittebant, sed etiam locum: quum nihil referebat addi, uel quia

Loci et tem  
poris assis  
gnatio.

## D

Loci et tem-  
poris affi-  
gnatio. iam is sciebat cui scribebatur, uel ratio materie non  
poscebat. Neq; uero in loco, et tempore, & saluatione  
erat ullus ordo certus: sic enim scribebant: Vale, Ro-  
me, Nonis lunij: &, Vale Nonis lunij, Rome: & No-  
nis lunij, Rome, Vale. Si quid uel exciderat, uel uenie-  
bat in mentem ut adderent, sine prestationibus id facie-  
bant, rursum apponebant Vale: quod si iterum liberet  
quicquam ascribere, faciebant ad eundem modum, ita  
rum: uel tertio Vale: uidem quoties placeret: cuius rei  
exempla sunt quam alia permulta, tum in primis apud  
Cic. 13. epist. ad Atticum. Sed nos pro festis ueteribus  
utemur nostris, olim illi Vale quinquatribus, Vale ru-  
bigalibus, Vale uulcanalibus, floralibus: quin nos etia,  
Vale natali Seruatoris, uirginis matris, ferijs D. Mar-  
tini, conversionis Pauli: nisi forte pudet ac paenitet nos  
nostrorum diuorum, ad quos nulla est illorum deorum  
comparatio. Pro Calendis quoq; Idibus, Nonis, expedi-  
tius est diem mensis adscribere, quinto Ianuarij, sexto  
Nouembris, crepusculo diei, conticino noctis, multo  
mane, bene mane, de media nocte, de medio die, in ipso  
feruore diei, in rigore noctis mediae, aut extreme. Ro-  
manis consulibus & Atticis & p̄sori successit felicior  
computatio, à nato Domino Iesu, assertore generis hu-  
mani; Anno à Christo nato, ab orbe redempto, à filio  
Dei incarnato, à partu uirginis. Si uaria sim scripta,  
quod maxime infixū uolemus menti, id repetemus post

Vale: ut Vale mi Honorate, & literas cole, quæ te  
 principem virum efficient nostræ ciuitatis. Vale etiam  
 atq; etiam mi Poblaci, et cura ut ipse è colica mea recte  
 vale am. Verum loci & temporis assignatio longe ui-  
 detur mihi aptior & congruentior nō grecys, si statim  
 in capite literarum denotentur: quippe si dies aliquot  
 asseruetur epistola, & res uarie contingant, maxima  
 sequetur perturbatio, quæ res, quo tempore acciderit:  
 si in uero peregrinemur, nec unde scribamus sciri pote-  
 rit. Ad effugiendam cōfusionem hanc negotiorum, Ci-  
 cero quandoq; media epistola signat diem: hæc scripti  
 ad quintum Calend. Iunias. Itaq; commodissimum mea  
 sententia, & ad euentuum rerumq; omnium diuersitatē  
 tem in primis appositum fuerit, hunc in modum aut si-  
 milem quemplam scribere: i. L. Viues G. Budæo suo fa-  
 cilem senectam optat. Brugis tertio die Ianuarij, M D.  
 XXIII. Cæsarem narrant esse Manuæ, ind. pro-  
 fectorum Bononiam. Agimus epiphaniam Domini: iam  
 pro certo habetur, illum cum Pontifice congregati, &  
 maximis de rebus quotidie consultare, quæ sint toto  
 Christiano nomini cum primis utiles. Hic dies est octa-  
 uis Ianuarij, de Concilio ferunt illos agitare: Christus  
 illis impartiatur suum spiritum. Dies est iam decimus  
 mensis sum Gand:ui, proficiens Brussellam, accepi  
 literas tuas duabus epistolis eodem fasciculo, ad omnia  
 fermè respondi, præterquam de necessario illo tuo, quæ

D 2

## IO. LVDO. VIVIS

nōdum uidi, sed expectatur hic quotidie: hæc epistola,  
quia sefelliū me qui erat prosectorius, nondum est missa  
in hunc dīē, qui est predicti mensis decimus tertius: per  
ueni Brussellam, conueni amicum tuum, quem sum de  
negocio tuo allocutus: pollicetur suam operā omnem,  
tu, ut soles, quicquid eueneris, magno sis animo: opto ti  
bi fauorem Christi. Iam pudet me tādiu afferuata epि  
stole, uicesimus est mensis ex ijs, quæ ille est cum sc̄e  
uola collocutus, non uidetur esse eo in te animo, quem  
existimabamus, quum hic esset: sed dum Christus bono  
sit in te animo, humanas utilitates facile neglexeris. Sal  
uebis à Cranaeldio nostro: uxori tuæ salutem ex me,  
P. Brixius saluebit à me officiose & accurate: item  
Beraldus & Tusanus. Quid etiam? quid ad hæc? nam  
uereor, ne in epistola toties in manus resumpta, desit  
aliquid, quod non esse adscriptum doleam: nihil occur  
rit, adsit tibi Christus. Epistola hæc una sufficerit pro  
exemplo, ad ostendendam formulam. Salutem & Va  
le non damno, nec diem & locum in calce, quibus ipse  
hactenus sum semper usus, nempe antiquis et receptis  
simis: sed ratio hæc noua scribendi, nec ineruditæ uide  
tur mihi esse, & præsentium rerū statui congruentior,  
non solum in Latina lingua, sed in uernaculis, quibus  
etiam præcipimus, et prospicimus, non solum Latinæ,  
& si huic, uti par est, potissimum. Adde his quod preca  
tiones magis religiosæ sunt, magisq; optabiles. In calce  
epि

epistolæ, si ea sit aliena manuscripta, signum aliquod addendum, quo declares eam non esse adulterinam, aut supposititiam, sed abs te profectam. In quo erat apud veteres parata fraus, quippe quibus facile esset negare abs se esse missam. Cicero in Antonium Philippica 2. quem locum adscribam totum, quia sumitur ex prudenter communi. At etiam literas, quas me sibi misisse dice ret, recitauit homo & humanitatis expers, & uite communis ignarus. Quis enim unquam, qui paulum modo honorum cōsuetudinem nosset, literas sed ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protrulit, palamque recitauit? Quid hoc est aliud, quam tollere è uita uitæ societatem tollere amicorum colloquia absentium? quam multa loca solèt esse in epistolis, quæ prolatasi sint, impepta esse uideatur? quam multa seria, neque tamen ullo modo diuulganda? Sit hoc inhumanitas tua, stultitia incredibilem uidere. Sed quid opposes tandem, si negem me unquam istas literas ad te misisse? quo me teste conuinces? an chirographo? in quo habes scientiam quæstuosam? qui possis? sunt enim librarij manu.

DE SUPERSCRIPTIO-  
nibus.

**D**E superscriptionibus nihil habemus antiquorum, quod quidem certo possumus affirmare: qua de causa existimarunt nonnulli, titulos suisse super

scriptiones: quam opinionem paulò ante satis reselli.  
Sed suspicor multis epistolarum non suisse additam su-  
perscriptionem; sicut nec intus in calce, locū aut tem-  
pus, quoniam iam alioqui sciretur, aut nihil referret. Ita-  
que ubi us, cui perferenda epistola dabatur, cūnam es-  
set redditurus nouerat, nihil erat superscriptionis opus  
ferē autem eam ad rem uel domesticis, uel notis homini  
bus utebantur: quod si publico tabellario cōmitterent,

Superscri-  
ptio.

is utiq; signa dignoscet. Sed coniecturarum satis. su-  
perscriptio certè hoc tempore necessaria est. Ea consta-  
bit nomine eius cui mittitur, adiecta uel dignitate, uel  
functione publica, sicut in titulo. Cn. Pompeio Magno  
Proconsuli imperatori, Ludouico ab Auyla fiduciario

Epitheta su-  
perscriptio-  
num.

& cubiculario Cæsar. Epitheta sapientiae, claritatis,  
illustrationis, & alia uere sunt, quod dicuntur, super-  
iecta: non honorant superscriptionem, sed onerant: ni-  
hil est eis niedacius, uel absurdius: iam etiam pueri hac-  
rident. At ut in titulo dicitur suo, ita in superscriptio-  
ne Me: nam hic, qui scribit, iniungit tabellario ut per-  
ferat, uel reddat eas literas: alterum enim illorum uer-  
borum subauditur. Fernando A Toleto herili filio co-  
mitis Auripense meo: in quo intelligendum, red-  
des. uel Ad Fernandum, &c. in quo, perferes. Familia-  
res, & qui optime cupiunt mutuo, poterunt uerbum  
aliquid addere amicitiae sue notam. Amico meo unico,  
maximo, summo, amico multo nubi charissimo, iucun-  
disse

diſſimo, ſuuiſſimo: ad patres, praeceptores, tutores, et eiusmo: mihi ſemper uerendo, honorando: ſed hec mo-  
dice, ſeu potius intra modum. Poſt hec ſignatur locus  
ubi ille ſit: Romæ, Lutetiae, Brugis, Valenſiae. Sunt qui  
ipſi adferunt loco notitiam et claritatem, potius quam  
e diuero: ut reges & principes: ad hos & ruditatis,  
& in educatione eſt, locum adſcribere.

## DE DICTIONE EPIST.

**E**pifola imago quædam eſt quotidiani sermonis,  
ac colloquij cuiusdā perpetui: nec enim in aliud  
eſt inuenta, quām ut abſentium sermones reſerat ac re-  
preſentet. Itaq; illud debet potiſſimū efficeret, ut quām  
proximē poterit, colloquia & sermonem familiarem  
exprimat: prudentum dico & eruditorum. Nam opti-  
ma queq; ſunt arti emulanda, quo mediocria ſaltem  
consequatur: ita eſt enim unaquq; ars abſolutiſſima,  
ut maxime ad naturam ſuam accedit. Sermo autem no-  
ſter quotidianus ſimplex eſſe debet, & rectus & natu-  
ralis, dummodo purus & caſtus: quippe coinqinatus  
& fordinus, hominum eſt uel imperitorū, uel diſſolute  
negligentium. Excultus porrò atq; ornameſtis nitidus  
ac ſplendens, uel iſſolentia eſt atq; arrogantia, uel pū-  
tide ac puerilis oſtentationis: quod ſi talem decet eſſe  
noſtrum sermonem, profeſto nō aliam eſſe epistolarem  
diſtioneſ conuenit, umbram atq; imaginem & quaſi  
uicariam illius. Itaque ueteres plurimi, ornari exiſti-

mabant epistolam simplicitate, & exultissimam esse  
 sine cultu, modo abessent sordes: ut uenerabilior est ille  
 in matrona simplex et parabilis ornatus, quam splen-  
 didus et sumptuosus. Idem in uiris contingit, quos effe-  
 minatos esse ducimus, ac moribus parum uiro dignis,  
 si sollicitius mundicijs uidemus deditos: ut foedos illos  
 & deuitandos, qui in squalore poedoreq; computre-  
 scunt. Ergo illam unam esse artem epistolarem in elo-  
 quendo censem, nullam adhiberi artem: modo stulti  
 sensus aut inepti, & nimis perturbatus abesset ordo:  
 tum uocabula essent pura eius lingue, qua scribatur:  
 grandia enim, selecta, tumentia, affectata, non de-  
 cori putarunt esse epistole, sed irrisio, ut pauonis  
 pennas in cornicula. Hoc epistolis suis comprobant ma-  
 gni omnes uiri: qui si eisdem de rebus in epistola lo-  
 quaneur, quibus in oratione, aut iusto libro, stylum pro-  
 tinus mutant & uerba, totumq; illum rerum & uera-  
 borum apparatum, demittuntq; se ad humilitatem il-  
 lam epistolarem, que tamquam frugi puella ac modesta,  
 minimeq; loco claro nata abunde compta est, si absit  
 deformitas & sordes. Ergo Cicero aliter ad amicos lo-  
 quitur de causa Milonis, aut de prouincijs consulari-  
 bus, aut de consolationibus, quam uel apud iudices, uel  
 in senatu, uel in Tusculanis: aliter Augustinus de pie-  
 tate in lib. de ciuitate Dei, quam ad amicos: alio stylo  
 & uincitione Plinius de l audibus Traiani ad ami-

cos,

eos, quām in senatu: de philosophia Seneca elaborati= us in libris de ira, aut de tranquillitate uitæ, aut natu- ralium quæstionum, quām ad Lucilium: Plato quoque ad eundem modum: de Hieronymo taceo, qui non epi= stolas uidebatur scribere, sed libros: quamuis ipse de temporis angustia & tarditate notarij, haud raro con queratur. Sed ut de Cicerone loquar, eius epistola adeo sermonem eius domesticum & familiarem ex= primunt, ut ego illum non aliter cum uxore, cum libe= ris, seruis, familiaribus, in foro, in campo, in balneo, in cubiculo, in triclinio locutum existimem. Iam ora= dinem ita neglexit, ut undecunque uisum sit exordi= atur, & repeatat, & addat, & recipiat se, & reuo= cet: nihil tale est in orationibus, aut libris philosophie= cis. Atticum quoq; hortatur, ut scribat quicquid in buccam. Seneca ad Lucilium libro 10. epist. Qualis sermo meus esset, si unà federemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales esse epistolas meas uolo, quæ nihil habeant acceritum & fictum, sed si fie= ri posset, ostendere quām loqui mallem. Apollina= ris Sulpitij iudicium, quo Pliniij stylum in epistolis Ci= ris Sulpitius. <sup>Apollinas</sup> Ceroniano anteposuit, indignum est quod referatur, nedum ut refellatur: nam nec ipse rationem ullam sui dicti addit, & imitatorem se profitetur Plinij, à quo abest longissime, ut hominis iudicium cognoscatur.

D 5

I O. L V D O. VIVIS

Verumtamen quod de simplicitate dixi, non est hoc uel  
lut in punc<sup>t</sup>o inse<sup>c</sup>tuli positum, quin liceat intra illos li-  
nutes buc se & illuc nonnihil porrigere. Nam sicut in  
Simplicitas epistolæ alia omni sermoni formi, ita in hac dispe<sup>c</sup>tandum est,  
quis, cui, qua de re dicat. In adolescenti non fertur so-  
lum, sed laudatur etiam di<sup>c</sup>lio comptior, lætor, elabo-  
rator, distributio & ordo rerum, descriptio: denique  
commendatur studiosa diligentia. Sunt, qui accuratis  
ad se epistolis delectamur: ut hominis docti, ac uti, in-  
geniosi: alijs contemptum interpretamur sui, ni elegan-  
ter & ornate scribas: sunt qui nimiam curam despun-  
ant, quasi putidam. Qui aliquid petit, alieno stomacho  
subseruat: qui nihil, suo. Res quoq; aliae secum ip-  
se adserunt cultum suum, ut de bellis, de republica, de  
moribus; aliae nolunt nisi cum splendore dici, ac ne pos-  
sunt quidem. Quintilianus sermonē et epistolas soluit  
mult esse numeris, nisi quū supra naturā suā tra-  
ctant: ut de republica, de philosophia, de laudibus &  
uituperatione. Idem Seneca aduersus epistole ornatum  
adeō seuerus, h.ec subiungit, Non me hercule ieiuna et  
arida esse uolo, que de rebus tam magnis dicentur; ne-  
que enim Philosophus ingenio renunciat: multum ta-  
men opera impendi uerbis non oportet. Veteres illi, ut  
de negotijs modo scribabant, simplici illo & naturali  
utebantur loquendi more: malebantq; quod si pruden-  
tie, in doctrina loqui, dum apertius tum errorem in uer-  
bo come

ho committere, quām in re. Vbi aliæ res accesserunt,  
 plus est adhibitum curæ, quod fecit Seneca ipse. Quum  
 uero nihil fuit quod scriberetur, præter mellitas episto-  
 las, aut etiam felles, manes tamen à negocijs, atque  
 umbratiles, instituerunt eas ornamentis cultuq; conue-  
 stire: ut quæ cognitione rerum non poterant niti ac si  
 stineri, certe uenustate atq; ornatu subsisterent: nam  
 alioqui quis unam illarum sustinuissest perlegere, ua-  
 cuam rebus, et mōpē uerbis? Tales sunt epistolæ Plini  
Cæcilij. Quin obseruatum est etiam, Marcū ipsum Tul  
lum aliter ad alios, & alijs de rebus solitu scribere: ela-  
 boratius ad Brutum quām ad Atticum, quwm aliquid  
 contendit impetrare, quām quoniam narrat: uelut ad L.  
 Luceum, quām ad Varronem: quwm consolatur item,  
 ut ad M. Marcellum. Et alioqui ars & exercitatio Ci-  
ceronis, & ingenium excellens hoc præstabant ei, ut  
 oblata et naturalia in eo uiderentur, quæ extimo essent  
 producta artificio. Summa hec est, ut meminerimus es-  
 se epistolā, hoc est, puellam plebeia, in quibus et si aliae  
 alijs ornatur exultius paulò & purius, mundū tamen plebeia.  
 patritiarum non æquant, uti nec famulæ dominarum.  
 Aliud est, inquit Plinius, scribere historiam, aliud epi-  
 stolam, etiam de eodem argumento. Idem Plinius pres-  
 sum & astrictam uult esse phrasim epistolarem: sic ta-  
 men, ut ne sit ieuina prorsum ac strigosa, neue aridat  
 habebit succi aliquid, & cum lcpōrem ac gratiam, que

Epistola, ue  
l ut puella

est in stricta dictione, et simplici illa dicendi nota se penumero uel maxima. Ideoq; nec tropos continebit crebros, nec translationes uarias, nec allegorias frequentes aut logias, nec conformatioines alias, nec uerba gradiia et magnifica, nec concinnam et numerosam structuram: hec quidem de genere uniuersorum: nam in formis uariatur, seruata generis ipsius natura, sicuti ostendi. Quae precepi de elocutione, transferri ad arte ipsam uniuersam posunt: quae quum celari ubiq; par sit, tum in epistola adeo debet esse tenuis, ac proprie nulla, ut a magnis ipsis artificibus uix queat deprehendi: et si hoc, uti de phisi docuimus, dirigendum est ad considerationem personarum et rerum. Quidam de epistolis componendas differentes, de proemio tradunt, de narratione, confirmatione, peroratione, de inuentione, dispositione, elocutione, ex rhetorum preceptionibus repetitat quod plane est superuacaneum, et loco huic alienum: primum quod nulla est ferre epistola, que haec beat quinq; illas partes: nec tantum artificium tenera hec puella sustinet. Deinde et si proemio nonnunquam utatur, et colligat ac conficiat argumenta, uel depellat, et ordinem sequatur, rebus in suos locos distributis: idem faciunt omnes sermonis species, consolationes, gratulationes, dialogi, panegyrici: quid ergo, quoties de aliquo illorum precepta tradentur, omnia artis ferramenta et armam medium proferemus? Quae artis sunt

sunt, semel oportet exhiberi in genere, ut quādō opus sit, singulis accommodentur formulis, nullius enim harum sunt propria, minimē omnium epistole, quae minime uel indiget, uel utitur. Ad doctos & ociosos sribentes, licebit allusiones admiscere ad fabulas, ad historias, ad proverbia, ad res naturae ac morum, ad dicta præstantium scriptorum: modo breuiter, nō tam explicandi gratia, quām uelut puncto signandi & indicandi gito. Etiam in reconditis rebus utile est enigmata inserere, quod uidemus Ciceronem fecisse crebro ad Atticum: ne si literae in alienas manus deuenissent, atque aperirentur, proderetur quod illi operū uolebant omnino esse, & occultum. Etiam uerba Græca immiscent altera diuarum occasionum, uel quum aptius id Græce dicitur, atque appositius quām Latinæ: uel quum non uult à quolibet intelligi: ideoq; abstrusis & Homericis plurimum uerbis, nec pañim cuius expositis utitur. Nobis quoq; si negotium poscat, uelare sententiam nostrā concedetur sermone alienissimo ab eo quo scribimus: uelut si Hispanicè, sermone Teutonico, aut Britanico: neq; enim, ut paulò ante admonui, de sola præcipimus Latina lingua. Quid quod etiam in ea ipsa uerbo Germanico uel Scotico, ei tamen cui scribimus cognito, sensum obscurare quis queat, si id rei qualitas efflagitet? Nam Cicero, non quod lingua Græca elegas et exculta esset, ut quæ maxime, uel potius supra cæteras, idcirco res arcanas illa cō tegebat: sed qđ nota Attico, reliqui

uero ciuib⁹ non tantopere: quod si aliam à Romano-  
rum us⁹ semotior cm Atticus scuisset, eam ipsam usur-  
passet Cicero, in rebus, quæ nolebat euālgi. Et quan-  
do in cuiusq; principis comitatu sūni honores multilin-  
gues, repertum est genus quoddam notarum recondi-  
ti⁹ sim⁹: cfras uocant, è quibus nemo unquam sensum  
exculpet, nisi abecedari⁹ & significationem uerbo-  
rum teneat, quæ inter illos conuenit: quæ madmodum  
nec Laconicam scytalam quisquam legerit, ni bacillum  
habeat per omnia illi parem, ad quem erat lorum con-  
tortum & conuolutum. Sunt etiam in epistolis Cicero-  
nis, ad Atticū præcipue, multa brevia & præcisa: quā  
automo phrasin fuisse sermonis Laiini, familiaris illo  
uiiq; seculo: omittit enim uerba potissimum, Dico, Mit-  
to, scribo, Venio.

## MISCELLANEA DE VETERVM CONSVER- TINE epistolari, tum agendo, tum loquendo, ex Cicerone potissim⁹. Ad ita sunt etiam nonnulla nostri usus.



NTI Q VISSIM! homines Epistolā  
solebant in tabellis scribere, qd' Homerus  
uates docet in fabula Bellerophontis: is  
mos durauit usq; ad Romanā tēpora, uti  
ostendit.

ostendunt scriptores Latini, Plautus, Cicero, & alij:  
 unde qui literas perferrent, tabellarij nominati: quod Tabellaris.  
 nomen etiam nunc manet, quem tabellis iam pridem  
 non utamur, sed ut alia, propter uim atq; usum eundē.  
 γραμματόφορος est Graece, & à quibusdā nostris  
Veredarius dicu: sed hic non tam est qui literas per- Veredarius  
 fert, qui in qui ueredit subinde mutatis breui tempore  
 magnitudinea conficit, cui literas solemus committere,  
 ut celeriter perferātur. Codicilli quoq; appellationem  
 suam sumunt ex tabellis. Literæ dicuntur, & literule  
 diminutiae sicut epistola & epistolium. Exarare lite= =  
 ras, componere epistolam, & formare epistolam, &  
 dictare: qui uero scriberet epistolas domini, librarius,  
 & scriba: sequentibus temporibus notarius: et ab excipi  
 endo, quæ aliis dictaret, exceptor. A manu autē, & a= =  
 manuēsis puer est, quo utimur quasi ad manū, in mini= =  
 sterijs intimi cubiculi: qui etiam ad manū appellatur: is  
 interdū excipit, quæ nos dictamus, uel praescribimus, se= =  
 cretiora quam ut alijs uelimus cōmunicari, aut leuiora  
 quam ut necesse sit librarium propter illa accersiri. For Formalis  
matis epistola est uelut forma, & ea non aliarum illius epistola.  
 generis: quales sunt principiū, quæ ad certam quandam  
 formam, uelut obseruatione religionis conscribuntur.  
 Tabellis succedit charta, primū membrana pergamenta,  
 huic uero hæc nostra papyracea. Erit genus chartæ epi Charta.  
 stolaris, cuius in apophoretis Martialis meminit, tenue:

I O . I V D O . V I V I S

Icue, firmum, aptum epistolis scribendis. Vna in facie  
olim scribebant; nam quæ duabus essent scripta, ea nun  
cupabant opisthographas: cuiusmodi erat Orestes ille  
Iuuensis, Scriptus & in tergo, nec dum finitus: propte  
rea quod una tanū facies erat levigata, et literis reci-  
piendis idonea, nempe interior, quæ carnea sanè nun-  
cupetur: exterior autem uillosa. Vt ebantur etiam mem-  
brana deletili, palimpsestos dicebant. Cicero Treba-  
tio: Nam quod in palimpsesto, laudo euidem parsimo-  
niam: nescio tamen quid in illa chartula fuerit, quod de-  
lere malueris, quam hæc non scribere: nisi forè tuas  
formulas: non enim puto te meas epistolas delere, ut re-  
ponas tuas. Rationes loquendi in epistolis hæc prope-  
modum, & eiusmodi usurpabant: Qui epistolam per-  
feret, pertulit, perfert: quorum primum spectabat tem-  
pus post scriptionem, alterum post redditionē, tertium  
est tempus præsens, quod latè solet extēdi: sicuti, Quis  
prandet apud nos? Barcherus & Patus: de pransuris,  
Nihil habebam, quod in præsentia scriberem: scriptio-  
ne dignum, ad te præsertim, nullum erat argumentum  
nulla materia, caussa, occasio scribendi, scriptionis, e-  
pistole, literarum: eoq; brevior est, erit, hæc epistola:  
nam nec tu in anibus literis delectaris, & ego non iam,  
ut soleo, epistolas libens mitto scholasticas atq; umbra-  
ticas, in quibus nihil sit negotij præter comitates, offi-  
cioſa uerba & mellita: tametsi hæc satius est exercere,

quam

Opistho-  
graphia.

Palimpse-  
stos.

Loquendi  
rationes in  
epistolis.

quam facūdiam caninam. Tam multum habeo, uel est,  
 quod scribam, ut initium non uideam: ut nec initium,  
 nec exitū inueniam: propter hanc dubitationem meam  
 breuior hæc epistola est. Sed tamen ita distinebar, ut  
 uix huic tantulæ epistolæ tempus habuerim: noli puta  
 re pigritia facere me, quod non mea manu scribam. Ad  
 Plancum scripsi, misi, habes exemplum. Ad senatum  
 quas literas misi, uelim prius perlegas: & si qua tibi ui  
 debuntur, commutes. Ad has literas statim mihi rescri  
 be, tuorumq; aliquem mitte, si quid reconditum ma  
 gis erit, neq; scire opus esse putaris. Et si mane Harpa  
 lum miseram, tamen quum haberem cui recte darem li  
 teras, & si noui nihil erat, eisdem de rebus uolui ad te  
 saepius scribere: non quod diffiderem diligentiae tue,  
 sed rei me magnitudo mouebat. En quantam epistolam  
 ex quam tenui initio deductam, quantum exaraui char  
 te, quum uix tres uersus scripturum me à primo existi  
 marem. Sed quid ego non imitor laconismum tuum? al  
 tera pagella procedit. Quid aliud? quid restat? nun  
 quid sum oblitus? excidit? fugit? Per multum, permagni  
 interest, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit: an  
 quum solitudinis aliquid haberes, an quum ab mole  
 stia uacuus es: itaq; ei præcepi, quem ad te misi, ut  
 tempus obseruaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quem  
 admodum coram qui ad nos intempestive adeunt, mo  
 lesti sœpe sunt: sic epistolæ offendunt, non loco red-

E

dit.e. Corām me tecū hæc eadē agere sāpe conātem, de  
terruit pudor quidē penē subrusticus, quæ nunc expro  
mā absens audacius: epistola enim nō erubescit. Manu  
mea scripsi, manu tua scripsisti, manu mea ipsius; manu  
propria mea, negat Valla dici. Brutus tamē, De uolūta  
te inquit, propria mea. Scripta īā epist. Hermia uenit,  
accepi epistolam tuam uacillantibus literulis trende no  
bis superiorem epistolam, & appinge aliquid noui.

Vale.

Vale, Da operam ut ualeas: Cura diligenter tuam ua  
letudinem, hoc mūhi gratius facere nihil potes. Vale, &  
matrem, meosq; tibi commendatos habe. Vale, &  
Salue, quarto Calendarum, Calendas decembres, ad  
quartum Calend. Decembres, ante diem quartū Calen  
darum, quasi quarto die ante Calendas. Nuncij nobis  
tristes, nec uarij uenerunt de Qu. fratre, ex & ante  
diem Nonarum lunij usq; ad pridie Calendas Septem  
bres. Contulit hoc negotium, siue distulit in ante diem  
sextum Iduum Maij, usq; ante diem quintum Calendas  
Maias: hoc est, usq; ad diem quintum ante Calendas  
Maij, ut recte interpretatur Budæus. Balbus, Sub po  
stea quām literas communeis cum Oppio ad te dedi:  
Epistole ob signandæ ratio.

quod durum admodum uidetur. Epistolam perscriptam  
complicabant, uinciebant lino seu filo, addebat ceram:  
quodam uero tempore proceres Romani certam quan  
dam ex Asia aduectam, ut refert Cicero pro L. Flacco:  
in cera signum imprimebant ex gemma annuli. Cicero  
in

in L. Catilinam: Ac ne longū sit Quirites, tabellas pro-  
 ferri iussimus, quæ à quoquā dicebantur datæ. Primū  
 ostendimus Cethego, signum cognovit, nos lignum in=  
 cidimus: tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsiuī com=  
 gnosceret ne signum: annuit: est uero, inquam, notum  
 signum imago aui tui, clarissimi uiri, qui amauit unice  
 patriam et ciues suos. Idem Cicero: Obsignata iam epi=  
 stola superiore, non placuit ei dare cui constitueram,  
 quod erat alienus, itaq; eo die data non est. Hæc scripsi  
 raptim, præpropere, perturbate, quod ex literis ipsis  
 & sensis facile coniçies: quæso festinationi meæ, &  
 breuitati literarum des ueniam. Nos item complicamus  
 epistolam, quæ si non sit deuincta, est solutilis, uel aper=  
 tilis, ut quas alicui mittimus legendas prius quām red=  
 dat: filo deuinctorum uel superne, uel transfixam: inter=  
 dum quoq; fibra ex eadem charta, quum signum non  
 habemus; commissura quoq; chartacea, uel orbiculari  
 parua, uelut in negocijs mercatorum: uel magna com=  
 missura obsignata, ut ad proceres: itaq; dicitur uel de=  
 uincta filo, uel astricta commissura. Solet nunc intersti=  
 tium uacuum relinqui inter salutationem & ipsam epi=  
 stolam, pro dignitate eius ad quem scribitur, uel am=  
 plius, uel astrictius: uocetur id sanè margo honoræ  
 riū. Qui literas perforunt, sunt tabellarij: è quibus alij  
 sunt ordinarij, alij extra ordinem, lenti, celeres, uere=  
 darij, per equos dispositos magnis itineribus eentes,

Margo hon=  
orarius.

Tabellarij.

coniungentes dies noctibus: hi accipiunt precium ue  
 turæ, sc̄u pro uectura, appensis epistolis, non numero  
 Responden  
di locutio  
nes.  
 tis. Respondeſtes uero hifce locutionum generibus ute  
 bantur. Accepiliteras; Plinius etiam recepi dicit. Red  
 ditæ sunt mihi literæ tuæ amantiſimæ, ſauuifimæ, bla  
 diſſimæ, iucundiſſimæ, expectatiſſimæ, amicæ, comes,  
 falſe, festiuæ, plena humanitatis & benevolentia: uel  
 acres, acerbæ, insipidæ, dentatæ, maleuolæ, rabiosæ, ra  
 biosulæ, fatuæ, dementes, imprudentiſſimæ. Accepil  
 iteras tuas duabus epistolis: duas uel tres epistolæ codē  
 exemplo, manu tua ſcriptas, manu ſcribæ, manu liberti  
 tui. Treis uno die à te accepi epistolæ, unam breuem,  
 quam flacco Volumnio dederas: duas pleniores, qua  
 rum alteram tabellarius T. Vibis attulit, alteram ad  
 me misit Lopus. Puer à ſorore tua miſſus, epistolam mi  
 hi ab te allatam dedit. Accepit uas tres, Plinius: Post  
 longum tempus epistolæ tuas, ſed tres pariter recepi,  
 omneſ elegantiſimas, et quales à te uenire præſertim  
 deſideratas oportebat: quarum una iniungis mihi iu  
 cundiſſimum ministerium, ut ad Plotinam ſanctissimam  
 foeminaſ literæ tuæ perferantur, perferentur: eadem  
 commendas mihi Popiliū Artemiſium, ſtatiſ præſtitū  
 quod petebat. Sed ad Ciceronem reuertamur. Obuiam  
 mihi fuit tabellarius: at ego ſtatiſ, cedo inquā, ſi quid  
 ab Attico? Si quid erit occultius, & ut ſcribis, recon  
 ditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te li  
 teræ

terē perferantur. Et si iusta & idonea usus es excusa.  
 tione intermissionis literarum tuarum, tamen id ne sa-  
 pius facias rogo. Accepi literas ab eo, qui misit: accepi  
 à tabellario, qui reddit. Damus literas ad eum, cui  
 scribimus, damus tabellario: tabellarius reddit, atque  
 etiam interdū dat: & si hoc rarius. Accepi literas tuas  
 ab Acasto seruo meo: quas quidem quum expectasssem  
 iam diu, admiratus sum, ut uidi obsignatam epistolam  
 breuitatem eius: ut aperui, rursus σύγχρονα literula-  
 rum, que solent tuæ cōptissimæ et clarissimæ esse: sic il-  
 le. Videlicet, breues & parui momenti epistolas non so-  
 lebant obsignare: sed complicatas solum mittebant in  
 modum codicillorum. Misit ad me literas, quarum ex-  
 emplum hic habebis. Literæ à Cæsare uenerunt, literæ  
 à Catone sunt adlatae. Cicero filius Tironi: Quum ue-  
 hementer tabellarios expectarem quotidie, aliquando  
 uenerunt post diem quadragesimum & sextum, quam  
 à uobis discesserant: quorum mihi fuit aduentus opta-  
 tiissimus. Expecto tuas literas de multis rebus, teipsum  
 multo magis. Scripsisti ad me epistolam plenam consi-  
 lij, summaeque; tum benevolentie, tum prudentiae: eam  
 mihi, Philotimus postridie quām à te acceperat, red-  
 dit. Qu. Seruilius perbreues à te literas mihi reddit, que  
 mihi tamen nimis longe sunt uisae: iniuriam enim  
 me accipere putabā, quod rogabar. Accepi à te aliquot  
 epistolas uno tempore, quas tu diuersis temporibus de-

IO. LVDO. VIVIS

deras. Ac uelim post hac sic statuas, tuas mihi literas longissimas quaq; gratissimas fore. Quod epistolam conscisam doles, noli laborare: salua est domi, petes quem libebit. Epistolam tuam, quam accepi ab L. Arunitio, consciidi innocentem: nihil enim habebat, quod non uel in concione recte legi posset. Resoluta epistola, continuo uidi quod cupiebam, uel quod metuebam. Libentissime legi tuas literas, in quibus iucundissimum mihi fuit, quod cognoui meas tibi redditas esse. Ex literis tuis cognoui, intellexi, accepi, factus sum, redditus sum certior: nihil certū de te habebamus. Domitium autem futurum sine fascibus: quum id scies, facies ut sciā, fac sciam: faciam ut scias, ut noris, ut intelligas. Particulam literarum tuarum, quas misisti Octauio, legi missam ab Attico mihi: particulam literarum legit mihi Atticus. In capite tuarum literarum, in medio, ad medium, in calce, fine, extremo, ad postremum: hæc erat literarū tua rum clausula. Habeo, habebam literas à fratre: non tandem dicitur habui, pro accepi. Respondebo tuis literis ordine, uel promiscue, non seruato ordine. Tuam rationem scribendi sequar, quoniam uidetur mihi optima, commodissima, appositiissima: uel ut commodius rescribam: nec ὅμοιο μία ρη meam instituā, sed ordinem conservabo tuū, et respondebo primū postrema tuæ pagi nœ. Ego respondebo tibi ὑπεροπτούσον, δικτυωσ. Epistolæ tuas accepi duas; prior recentiorem habebat diem,

diem, altera antiquorē. Vetus epistola & recens: dies prior, posterior, recens, antiquus, uetus: item dies repe-  
tita, quū uetusior est quam quo epistola fuit scripta.  
Hec et alia inueniet per multa, qui ueteres, sed Cicero  
nem præcipue, diligenter euoluerit.

## S A L V T A N D I F O R M V-

læ usui nostro aptæ.

**S**Alutationem uoco, non primam illam, quæ est scri-  
bentis ad eum cui scribitur, nempe primi ad secun-  
dum: sed primi ad tertium per secundum, uel per quar-  
tum quum scribet, quoniam uidebit, quū quid ad eum man-  
dabit: hinc à tertio ad secundum per primum, à quarto  
ad secundum per tertium solum, uel per tertium ad pri-  
mum. Quorum omnium exempla sunt haec: Saluta, dic  
salutem, Salutem annūciabis, precaberis meo nomine,  
meis uerbis, pro me, mea uice, Petro à Toletō hospiti-  
meo. Saluebit à me Rodericus Manricus meus, iubebis  
saluere Gomezium Benuidium. Significabis Ioanni  
Manrico à Lara, accepisse te literas à me, quibus iubeo  
illum saluere: accepisse me literas à Duce Beiaris Fran-  
cisco, quibus iniunxit, ut si quando uel tibi, uel illi scri-  
bam, adiungam ei S. suis uerbis. Si quando Morum con-  
ueneris, admone hominem, ut quum ad Roffensem Epì-  
scopū mittet literas, adscribat precari me leta omnia,  
ac felicia. io. Claymondo patri meo S. et senectā leuen-  
ac facilem: cui epistolam hanc dabis legendā, tanquam

I O. I V D O. V I V I S

ad eum quoq; scriptam. Q uum hoc literularum ad te  
exararem, aderat, uel interucnit, uel nūciauit mihi Al.  
Viruestus, uti suo nomine s. tibi impertirē, salutem im-  
pertirer, s. optarem & optime euenire, quod filiā pro-  
bisimo iuueni collocasses, tum Christophoro Mirādē  
filiolam gratulaberis salua uxore. Q uum ad Morum da-  
bis literas, uel nactus fueris qui cō proficiscatur, et mā  
data ad illū miseris, ne obliuiscare accuratisimam mea  
uice salutationem adiungere ipsi & liberis: sed in pri-  
mis Margaritae Roperæ meæ, quā ego ex quo primum  
noui, non amauui minus quam si mihi esset soror ger-  
mania. Q uum aliquem tuorum muttes Segobrigam, p̄e-  
cipe ei, ut querat ibi aliquem ex familia ducis Albura-  
queranci, cui mandet, ut si Cuelarem proficiscatur, sa-  
lutet mihi Bartholomæum à Cueua ducis fratrem, uer-  
bis amantisimis, & officiosissimis. Tersulæ, quoniam

Salutandi  
ratio diuer-  
sa.

quod optimum in pueris est, hilarula est, meis uerbis  
suauium des. illud est animaduertendum, nō omnes salu-  
tationes omnibus congruere: nec similiter ignotos, aut  
leuiter notos debere salutari, ut amicos & familiares:  
non idem debere iniungi superiori, quod pari: non om-  
nes metiendi sunt eadem decempeda, sed gradatim &  
distincte, ut emineant signa uolutatum, in quo pruden-  
tia est opus. Curionem, si quando tibi occurrerit, si ui-  
deris, si uoles, si uacabit, si crit tibi commodum, saluta-  
bis paucis uerbis, leuiter, suffrigide, suo ipsius more.  
Quū

Quum adibis Cæsarem, obseruata occasione, precaberis illi meo nomine propitium numen, ut tanta regnorum moles feliciter sub eo administretur, ipsi & populis. Oro te uir clarissime, ne graueris institutori tuorum liberorum. ex me nunciare. Salutat te P. Clodius: ego uero precor tibi meliorem salutem, quam ab illo.

## RES ALVTANDI.

**R**espōdet, cui uel scripsimus, uel mādauiimus, excutum se quod erat iniunctum, per se, uel per alium, literis aut mandatis: uel nō licuisse, aut noluisse, quia non deceret, non expediret: tum quid salutatus responderit. Exempla sunt huiusce generis: Quod erat in extremo tuæ epistolæ, uel in extrema epistola, aut charta, in fine, in calce, in postremo literarū, ut lo. annē Feuynum nostrū salutarem, feci, & quidem perlibens: is uero, ut est ingenio suauissimo et amatiissimo suorum, letissimus de te audiuit: resalutat te plus millies: salutationem tibi remittit Cranaeldius noster, cū fœnore incredibili: salutem optat tibi ueram & solidam: optat tibi, quæ sibimet ipsi: precatur tibi omnia euenire ex animi tui sententia: omnia prosperrime, felicissime, faustissime, tibi et tuis: non potui ipse Vergaram salutare pro te, quod unice cupiebas: quoniam aberas, quoniam me aduersa ualeudo domi continebat, mādaui Gonza lo Tamyo: is renunciat, incredibile dictu quam grato illi fuerit tua salutatio, quamq; eam remittit tibi ac

E S

## IO. LVDO. VIVIS

curate & copiose cumulatam. Exhilaratus est uehementer Francus Leardus ad commemorationem Petri Mexiae sui: multò etiā magis ad salutationē, qđ significares, te sui meminisse: planè amat te, & reueretur bona fide, nihil non optat tibi faustum et letum. Ain' tu, salutari nos à Nicolao Vottono: de quo iam pridem audiebamus omnino nibil: quæso iube eum à nobis salvare, & meminisse ueteris nostræ amicitiae, ac familia ritatis Louaniensis, M. Crassus misit S. chartaceam, ut solet, mallem auream, hoc duntaxat temporez redde tu illi pro me chartacea item, aut si mauis, æream, quum illum conuenies. Grata fuit salutatio Vdalli: ego illi pro salute lignea uel chartacea reddam argenteam. Salutē Gabriel Valaura hoc tempore ad me: quim potius literas, & quidem copiosas de rebus suis omnibus, aut nostris communibus renuncia ei, non expectare me ab eo salutationes, sed epistolas: aut quod matrona illa castissima marito scribit, Nil mihi rescribas, attamē ipse ueni. Claudius ergo S. mihi satius effet cædi ab alio quam ab illo salutari. Piso nobis Sal. rogo te an serio: quo ore: quo uultu: quibus uerbis: nam est admodum subdolus, & malevolentiam blanditiæ uerborū affucuit occultare. Sed uincamus bono malum: repende ei salutationē plena manu, & uerbis amantissimis. Cum De metrio nolo mihi esse rei quicquam: meliore ac commodiore uteatur eo, si nullus penitus sit nobis usus cum illorū.

illo: procul quæso ab hac pice, ne inquinemur: crede  
mihi ericius est, ne accedas proprius. Fabium Gurgitem  
nolui salutare tibi, ne insolescat. Cornelio Nepotius non  
reddidit tuam salutationē, ueritus ne arrepta unius col-  
loquioli occasione, insinuet se in meam familiaritatem:  
nosti quantus sit irregendi artifex: & admissus quām  
molestus sit, atq; importunus, & excussu difficilis.

## DE BREVITATE

## Epistole.

**I**llud præterea iam olim quæsitum, quām breuem es-  
se epistolam cōueniret. Nam Demetrius Phalereus,  
seu quis est alius, longam epistolam librū appellat, non  
epistolam. Et L. Seieca hæc sunt uerba libro Epist. 5.  
Ne epistola modum excedam, quæ non debet sinistram  
manum legentis implere, in aliud diem hanc litem cum  
dialecticis differam. Quanq; eius ipsius epistolæ inter-  
dum quoq; dextram bis implent. Ciceronis etiam ali-  
quæ, ad Atticum precipue, ad alios quoq; nonnullos  
uolumina sunt, nō epistolæ: quas se ideo tam longas ait  
conscriptere, quod dormire non possit. Idem ad eundem  
ait se interdum λαχωνικὴ μοτικὴ μittere: & ad  
D. Brutum, imitari λαχωνικὸν illius: omnia tempe-  
rabat personis & negotijs: quum expediebat, & scri-  
bebat fuse, et sic ad se gaudebat scribi: idcirco Brutū in-  
crepat, quod in medio ardore ciuilis belli, breues ad se  
literas dedisset, quum negotia longissimas flagitarene-  
ut sciretur explicatius quid ageret, quidq; esset actus

## IO. LVDO. VIVIS

rus. Morosis, incognitis, amicis simulatis, breues: ita  
 dem occupatis, aut ijs quos eo scribendi genere uidebat  
 delectari, quasi multa paucis uerbis concluderent: cu-  
 iusmodi erat D. Brutus. Noui item amici breuibus sunt  
 epistolis mitio tentandi, ut amnes ignoti cunctabude. Sunt  
 qui uel mediocres epistolas loquaces iudicet, atq; asper-  
 nentur. Sunt qui epistolium iniuriam interpretentur;  
 demus tamen operam, ne in alterutro modum excede-  
 mus: si necessaria omittas, omnes sunt nimis breues: si  
 superuacanea infarcias, omnes sunt nimis longae. Mu-  
 lutum te accommodari conuenit ingenio illius, cui scribis:  
 & pro ratione materiae licebit in fine aut breuitatem  
 excusare apud illum, qui longas cupit: aut prolixitate  
 apud eum, qui breuibus: illa excusat negotijs, aut no-  
 stris, aut illius: & pudore, ne obirepamus aut inter-  
 pellemus in maximis occupatum: prolixitas excusat  
 rei qualitate, dulcedine cum illo colloquendi. Nihil per  
 inde uidetur mihi alienum ab epistolis, quam diffusa in  
 locis communibus iactatio, nisi forte libri sunt potius de  
 sapientie preceptis, aut de studijs humanitatis, uel en-  
 cyclopædia. Epistolia, et codicilli, que paucis uerbis a-  
 cutam quam piam sententiam cocludunt, plurimum ha-  
 bent uenustatis. Quum licebat, noluisstis: nunc quum  
 uultis, non licet. Quid si nihil habeant insolēs, super-  
 bum, fastidiosum, mitti possunt uel ad reges ipsos, ac  
 principes, & homines quantumuis superciliosos. Hie-  
ronymus

ronymus Salinas Theologus Inacho Mendozæ Cardi-  
 nali Episcopo Burgensi ardenter pietatem precatur.  
 Lutetiae Natali lo. Baptiste, 1533. Scio prudentia tua  
 non esse opus consultore, memorie autem, propter ua-  
 rietatem & magnitudinem negotiorum nonnunquam:  
 itaq; rogo te, memineris nationis studiosorū hominum,  
 nam de uoluntate in illos tua nibil dubitamus. Marcus  
 Laurinus Carolo V. Cæsari Augusto, regi Hispaniarum  
 S. Nec abs te contendeo, ut mea causa iustitiam uioles,  
 quod nec tu faceres quantumlibet rogatus, nec uelim te  
 per ignorantiam iniuste agere. Itaq; libellum hunc, quem  
 custodie iustitiae tuae confeci, oro attente legas: tales e-  
 rant Lacedemonie epistole, & responsiones, quæ eti-  
 am in prouerbium uenerunt. Res male gesta est: qui  
 superfuere milites, esuriuit. πρὸς τὰ γῆς & μερόγονα  
 φθέντα, vici οὐ. Sunt qui in respondendo repeatant,  
 cœu epistolæ illius capita, ad quam rescribunt: quod so-  
 let in grauibus fieri negotijs: & tamen accuratius, quā  
 à nonnullis lectum iri responsum arbitrantur, nonlecta  
 epistola prouocante. Nam hoc fine etiam in leuioribus  
 fecerunt quidam, ut ij qui suas epistolæ cogitabant ede-  
 re, nō editis ad quas rescriberent: sicuti Plinius & Po-  
 litianus. Fit hoc interdum compendij gratia, & ut le-  
 ctoris tum labori, tum intelligentiæ consulatur. Adde  
 etiam, quoniam in disceptationibus nostra cauſa ma-  
 gis ea uia adiuuatur, quum quæ ille uel eloquentia con-

I O. L V D O. V I V I S

uestiuit, uel muniuit coloribus, roborauit argumentis,  
nos omni detracto præsidio oculis subijciamus nuda at  
que inermia; qui astus erat oratoribus perusitatus. Er=

go unquamq; epistola uirtutem aliquam habere debet,

uel in rebus, uel in dictione, qua cōmendetur, libēterq;

& ab ijs legatur, ad quos mittitur, et à posteris quoq;

si ad eos perueniat: unde multæ placuerunt epistole,

refixerunt & iacuerunt plures.

D E A V T O R I B V S

Epistolarum.

**A**ntiquissime enim epistole extat Platonis per  
paucæ, & Demosthenis: hinc M. Tullij amu-  
se quidem multæ, sed multæ etiam in hanc usque eti-  
tem reseruatæ, in quibus præter uerba & dictionem,  
quibus uir ille cæteros omnes scriptores, Latinos dum-  
taxat, tanto post se interuallo relinquit, plurimū inest  
& ad res publicas et ad priuatas iudicij ac prudentie.  
Senecæ epistole uolumina sunt de philosophia. Accom-  
modatior ad usum Plinius Cæcilius, eorum præferim,  
qui de negotijs priuatis, aut Repub. non scribunt: nam  
huiusmodi melior Cicero: Plinius uero succinctus, &  
festiuus, & facetus, & acutus, & frequens concinnis  
sententijs, doctis atq; acutis ingenij murifice est aptus:  
qui scholasticas inter se mittunt epistolas & umbrati-  
cas, ut idem ipse ait, quibus oportet plus ornatus &  
condita

condimenti adiungi, quando rebus non perinde nituntur. Sparsae apud Græcos feruntur complures. Lucianū dilucidæ ac faciles, Philostrati picturatores quād dicit hoc sermonis genus: utræq; inanes sunt, & leuicu  
los habent sensus. Syncij itidem nō parum elaboratæ, metaphoris potissimum. Sunt nonnullæ Basilij, Gregorij, Libanij, & aliorum, breues argutæq; scholæ & homē  
nibus ociosis congruentes magis quam negotijs. Sed re  
deamus ad Latinos. Post Plinium scripsierunt epistolæ  
Christiani homines, suis temporibus nō Christianorum  
solum, sed omnī quoq; sine controversia eruditissimi.  
Tertullianus durus, nempe Afer: Cyprianus non perim  
de, et si eiusdem gentis. Augustinus item Afer, mollior,  
sed minus tersus ac comptus. Hieronymus ardens &  
uehemens, ut uideatur semper ad iudices dicere de caus  
sa capitali. Ambrosius lenior ac placidior, aliquod in  
terdum locis subturbidus. Symmachus nec magnitudine  
rerū, nec gratia sermonis potuit conseruare famam  
posteriorū. Sidonius Apollinaris Aluernas, obscurus,  
perplexus, fauorem iudiciorum nec consecutus est, nec  
meretur. Longo post hos interuallo uelut stellula inter  
densissimas tenebras emicuit Frāciscus Petrarcha, pro  
lixus, ac plerisq; locis morosus, difficilisq; & multum  
trahens ex rubigine ac situ suorum temporum. Multò  
post sequitur, qui ætate auorum primus coepit in Italia  
Latine balbutire, Gassparinus: cuius epistole uel hac de

## IO. LVDO. VIVIS

causa merentur laudem, quia in seculo doctorum pri-  
 me. Huic succedit Leonardus Aretinus, parum adhuc  
 excultus: tum lingua teriores Philelphi duo, pater &  
 filius, sententijs manes & subfrigidi, nec compositio-  
 ne satis grata. Poggios, garrulus, nugator & rabula.  
Pius secundus Pontifex, qui & Aeneas Sylvius, natu-  
 ra felix, infelix arte, Aegidius Calentius, & Campa-  
nus non contemnendi: quanquam hic in ostentationem  
 est maxima ex parte compositus. Sabellicus ubiq; co-  
 pia & facilitate, & iucunditate sui similis. Pomponius  
Latus Romanæ puritatis adeò studiosus, ut nec Grece  
 quidem scire uoluerit, ne quid alienum sonaret, aut ad  
 misceret lingue illi Quirinium: ita & uerba habet ele-  
 cta, & dictionem satis castigatam. Io. Picus, & An-  
gelus Politianus, magni: huius uerba facile complecta-  
 ris atq; exosculeris, illius non posis non probare: ille  
 sententiarum pondere et sanctitate dictionis excellens:  
 hic acumine & festinante amabilis, nisi quod laudis  
 nimia cupiditate supra epistole limites assurgit: ludit  
 etiam non raro, & lasciuit: rebus quoq; displicere pos-  
 set seueris & eruditione præstantibus, quia multus est  
 in materia leuissima, & minutissima sui ostentator: &  
 in eos quibus non probaretur, acerbè maledicuſ. Allu-  
 bescant hæc quidem adolescentibus, uelut pugnae &  
 certamina: grauibus aut & sanctis uiris insuavia sunt:  
 & imbuuntur teneræ mentes duobus uicijs humanae  
 societati

societati perniciosis, iactantia, et amarulemia lingue, .  
 quodq; est indignus, de rebus uilissimis, de literula, de  
 syllabula, de uocula, de intelligentia uersiculi, uel ne-  
 gligendi, interim etiam obseceni, & moribus damnoſi.  
 Grauior est Hermolaus Barbarus, & disciplinarum  
 cognitione fine illa prorsum comparatione excul-  
 tior: sed duriusculus, & perplexus. Admisiuit ſe his  
 Philosophaster Marcilius Ficinus, ut oloribus gauia:  
 atque epistolas compoſuit, ut de Platonicis quæſtioni-  
 bus diſputaret, dictione inueniuta & moleſta. Epi-  
 ſtolis Francisci Pici, & ſi minus terſis quam patrui,  
 magis tamen deest geniuſ, quam uel dictionis elegan-  
 tia, uel ſententiārum pondus. Rodolphus Agricola,  
 ſi ipſe ſua emendaſſet, maximis quoque ueterum po-  
 tuiffet comparari: tanta erat in illius eruditione ſolidi-  
 tas & sanitas, atque acrimonia in iudicando. Ioannis  
Capnionis epistolas nuper uidimus, ſimul & natas &  
 extintas, adeo dannauit eas tacitus doctorum con-  
 ſensus, ut uix potuerint paucos uitæ menses impetra-  
 re. Christophorus Longolius nimia cura imitationis,  
 bonam naturam corrumpit. Verba habet Ciceronia  
 na, mira religioniſe an ſuperſtitioniſ obſeruationeſ  
 ſenſis eſt ineptior, propterea quod dicta grandia re-  
 buſ exiguis aptabat. Non enim ſatis illi erat, uerba  
 & phraſin Ciceronis miro ſtudio imitari, niſi etiam  
 totum Ciceronem exprimeret, rem illam publicam

E

IO. LVDO. VIVIS.

simularet, & curam imperij, quo totus orbis continebatur: priuatus ipse, & in angulum studioſi ſeces-  
ſus abditus: in quo tam erat ridiculous, quam si gigan-  
tis uelutum induiſſet, & uerba ac pronunciationem  
gigantis effingeret, ut gigas crederetur: legendus ta-  
men propter uerba. Superant scriptores omnes etiam  
huius, & equant eos, qui patrum atque auorum  
memoria uixerunt, ingenio, eruditione, facundia,  
Erasmus Roterodamus, & Guilielmus Budaeus, ua-  
rio & diuersissimo dicendi genere: sed uterque in suo  
præstans. Erasmus facilis, & dilucidus, ut alijs semper.  
Guilielmus Budaeus nouo quodam atque inuicito  
dicendi genere est delectatus, quod sit admirari  
quam imitari promptius. Pauli episto-  
lae augſtiores ſunt, quam ut  
illas fas ſit ſub noſtrā  
cenzuram uenire.

FINIS.

D A E R A S M V S R O T E

rodamus Petro Paludano

Salutem.



ICISTI me tandem, humanissime P. habes toties efflagitatum à nobis scribenda: rum epistolarum rationem. Sed uide interim dum tuæ morem gero uoluntati, quantis me calumnijs ipse obiecerim. Quid tandem Critici dicent? imò quid non dicent, ubi uiderint me ausum tractare rem à multis tam diligenter ac scite tractatam? Vis tu, inquiet, Penelopes telam retexeres post tantos autores? Aut eadem dicas necesse est, aut deterioras: quorum alterum superuacaneum est, alterum etiam perniciosum. Ego uero quanquam multa alia habeo quæ respondere possum, unum hoc tamen dico, nullius qui de hac re aliquid conscripserit me uestigijs inhæsum. Accipe itaq; breuißimam, maximeq; compendia riam, cōficiendarum epistolarum formulam; tibiq; hoc unum persuade, non uerbis tantum illas, sed arte etiam indigere. Vale, saluta amicos communes.

# BREVISSIMA MAXI-

M E Q V E C O M P E N D I A

*ria conficiendarū Epistolarum formu-*

*la, per E R A S M U M*

*Roterodamum.*

## EPISTOLAE DEFINITIO.



P I S T O L A uarie à scriptoriis  
bus Latinis definitur, sed eodem penè sen-  
su. Libanius Sophista Græcus epistolam  
finit hoc modo: Epistola est absentis ad  
absentem colloquium. Porro colloquium sermonem fa-  
miliarem interpretamur, ut intelligamus epistolam inia-  
bil serè à communi sermone quotidianarum colloca-  
tionum differre: nimisq; errare eos, qui tragica qua-  
dam grandiloquentia in componendis epistolis utun-  
tur, atque ibi omnes ingenij uires effundunt, atque  
splendorem querunt, copiaeq; et ostentationis glo-  
riam, ubi minime opus est. Esse enim epistolicus stylus  
simplex debet, ac ueluti negligenter sculus: Nam est  
etiam quedam negligentia diligens. Exemplo sunt Pli-  
nij Ceciliij epistole acutæ, elegantes, expressæ, in qua-  
bus nihil nisi domesticum, quotidianum: sed omnia ta-  
men Latina, casta, ornataq; leguntur. Cnq; sit stylus  
ille

ille multa arte atq; ingenio, cultuq; subactus atque elabboratus, illaboratus tamen penè subitus atque extemporarius uidetur. Obseruandum uero illud imprimis est, fugienda esse uerba accersita, antiqua, nimium affectata, repetitaq; ex Aboriginem seculis: quibus hodie pleriq; corrupti et cacozelii utuntur, uerba noua atq; inusitata anxie querentes, ut doctiores uideantur: neque existimantes rerum gratia uerba esse inuenta, scribente ita Horatio in arte poëtica: Rem tibi Socratice poterunt ostendere chartæ, Verbaq; praeuisam rem non multa sequentur. Superuacaneum quidem penè fuerat post M. T. Ciceronem, ac Fabium Quintilianum, idem toties repetere: nisi quidam hodie reperirentur uerborum aucupes, atque anxijs captatores, qui unius uerbi cauſa tantum epistolam condere patati sunt: cumq; uoculam unam longo labore quaestam epistolæ inseruerint, putant se palmarum fructum reperisse: ac tunc maxime suam barbariem ac balbutiem indicant.

## DE EXERCITATIO

ne et stylo. Cap. I.

**C**aput igitur illud primum sit, rem totam acute, ingeniose, prudenter disposuisse. Quando in tanta Latinae linguae opulemia uerba propria, apta, atque ad rem ipsam significandam nata, deesse non pos-

D. ERASMI Roter.

sint. Exercitatione itaque opus est, & stylo non medio  
cri. Scribendum uero quam plurimum, & quam dili-  
geniissime quoniam stylus optimus effector est & ma-  
gister dicendi, ut apte apud Ciceronem Crassus ait. Et  
ut terra altius effossa generandis alendisq; seminibus  
fecundior est: sic profecto non à summo petitus stylus  
studiorum fructus effundit uberior, & fidelius conti-  
net. Primum itaq; summa sollicitudine ac stylis diligen-  
tia utendum: sed nec sine frequenti assiduaq; scribendi  
exercitatione extemporalis facultas, amplissimus cera-  
tissimusq; studiorum fructus, nec solida dicendi fiducia  
parari potest. Stylus itaq; frequens & opulentiam no-  
bis parit, copiamq; sermonis, & mirabilem adserit di-  
cendi scribediq; promptitudinem. Porro tardus primum  
stylus esse debet & diligens, cū uaria multipliciæq; auto-  
rum lectione, habendus est rerum ac uerborum deles-  
ctus, & pondera examinanda. Neq; occurrentibus pri-  
mum uerbis ac statim seofferentibus, incute uten-  
dum est, ut quidam faciunt, captantes prima queq;, at  
que audie arripientes. Suspecta est enim facilitas illa,  
qua pleriq; imprudenter exultant & gloriarentur. Qua-  
re Sallustium constat, Quintiliano referente, inscri-  
benda historia fuisse tardissimum, & Virgilium pau-  
ciissimos in dies uersus componere solitum. Nunquam  
profecto feliciter inueniet, neq; apte collocabit, neque  
ornata scribet ac polite, qui primum & stylo & in-  
dicio

dicio lēto usus non fuerit. Mora enim melius solidiusq;  
iudicium paratur, refrigerescitq; inuentionis amor. Qua  
re falluntur, qui multa stylo primum quām uelociſſimo  
scribere conantur. Diligentia enim in primis opus est,  
quanquam mox & feliciter sequitur stylus, & ube-  
rior ac promptior. Celeritatem enim dabit cōſuetudo,  
ut Fabius ait. Paulatim res ſeſe facilius oſtendent, uer-  
ba reſpondebunt, compositio ſequetur: cuncta deniq;  
ut in familia bene iſtituta, in officio erunt. Cæterum  
fugienda eſt eorum morosa nimis diligētia, quibus nul-  
lus eſt ſeipſos calumniandi finis, & quibus nihil un-  
quam ſatis placuit. Neq; enim promptum eſt dicere,  
uter eorum peccet ualidius, is ne, cui omnia ſua placēt,  
aut cui nihil ſatis facit. Relinquaſta eſt infinita illa cu-  
ra, & curandum ut quām optime ſcribamus: ſed ſcri-  
bendum tamē pro facultate. Adſit ergo ipſi diligētia  
quidam modus.

## DE IMITATIONE.

## Caput II.

**Q**uoniam uero artis pars magna imitatione con-  
tinetur, ab autoribus lectione dignis uerborū  
ſumenda eſt copia, & uarietas figurarum, et  
componendi ratio, tum ad exemplum uirtutum om-  
nium mens dirigenda eſt. Stultiſſimum uero eſt (ut Pla-  
nius in epistolis ait) non optima queque ſibi ad imitan-  
dum proponere.

D. ERASMI ROTE.  
CIRCA IMITATIONEM  
exactissimo iudicio opus esse.

Vapropter exactissimo iudicio circa hanc partem studiorum opus est. Examinanda sunt omnia, primumq; uidendum est quos imitemur. Imitandi uero sine controuersia sunt, quos multorum seculorum cōsensus probauit. Atq; in epistolis Cicerō, quanquam Latinæ eloquentie princeps, plus naturæ dicitur habere quam artis: Plinus uero plus artis ac diligētiae; uterq; tamē optimus. Sed nec hi soli legendi, legendi enim sunt & alij, qui sese ad ueterū imitationem compararunt. Quibus Politianum iure adnumerandum censeo, propter incredibilem rerum nitorem, exactamq; diligentiam, qua in quibusdam epistolis est usus. Senecam uero doctis tantum legendum putant, quod quanquā eximia uir doctrina fuerit, stylo tamen usus sit sterili & circunciso, cum fœcunditoribus scriptoribus alenda sint adolescentium ingenia: alioqui magnas uirtutes in eo, non quantum ad mores modo pertinet, sed etiam ad literas ac eloquitionem, nō difficile deprehendent ij, qui in uaria lectione uersati fuerint. Nec legendae modo epistole eorum, quos imitari uelimus: sed scripta alia, quæcunq; ad phrasim prouectāq; eloquentiam faciunt. Etenim sicuti non unius generis sunt epistole, sic nec eiusdem generis scriptores nobis eligendi. Quare qui ex omni albo operum Marci Tul.

Cicca

Ciceronis epistolas tantum eligunt, aut officia, Cicero  
nis sepe discipulos profiteri non debent. Legendus est  
enim totus: quippe qui uarius, sibiq; dissimilis, ut in ua-  
rio dissimiliq; genere materie.

## DE IUDICIO.

## Caput III.

**I**mitationi itaq; subest iudicium: nisi enim iudicio ap-  
prehendatur, nō modo nihil prodest, sed obest etiam  
pernitosissime. Videndum igitur qui nobis imitandi  
sint, ne corruptissimos pro optimis ac probatissimis de-  
ligamus. Porro qui Ciceronem sibi ducē atq; ante signa-  
num proposuerit, neq; eloquentiae, neq; acuminis, neq;  
dispositionis pœnitentibus unquam. Falluntur tamen, qui  
existimant imitationem per se sufficere: uerū est enim  
illud Quintilianus: Pigri ingenij est, contentum esse ijs,  
quæ sunt ab alijs inuenta. Quid enim, inquit ille, futu-  
rum erat temporibus illis quæ sine exemplo fuerunt, si  
homines nihil nisi quod iam cognouissent, faciendum  
sibi aut cogitandum putassent? nempe nihil fuisse in-  
uentum. Quare recte exclamat Horatius in imita-  
tores: O imitatores seruum pecus, ut mihi saepe Bi-  
lem, saepe iocum, uestri mouere tumultus. Et profecto  
nemo potest eum æquare, cuius uestigij sibi utique  
insistendum putat. Necesse est, eodem Fabio autore,  
ut semper sit posterior qui sequitur. Et sunt quedam  
in oratione maxima, quæ imitabilia non sunt: inge-

D. ERASMI ROTER.

nium, inuentionis facilitas. Arte igitur opus est, & preceptis, deinde imitatione & iudicio, postremo fructuē stylo ac exercitatione. Ceterum oritur quæstio: an scribendarum epistolarum ars aliqua dici posset: quidam enim naturali ratione & quotidiano Latinoq; sermonē contenti, artem esse aliquam scribendi negant: et nostram hāc ridens diligētiam exemplo magni nominis professorum: quorum aliquis interrogatus quid esset schemati & noēma, Nescire se quidem, sed si opus esset, esse in sua declamatione respondit: alter perconclami, Theodoreus ne, an Apollodoreus esset: Ego, inquit, pernullarius sum. Sed quis est adeo non ab eruditione modo, sed cōmuni sensu remotus, ut fabricandi, texēdi, & ē luto uasa ducenti, artem aliquam esse putet, sermonem autem, quo nihil est secundum rationem plantius, arte ac præceptis nihil egere? Non disimilandum tamen, quosdam contra sentire, quotidianis sci licet familiarissimisq; epistolis nullum adhibendum artificium rhetoricum esse, sed constare illas naturali quidam sensu, & communi oratione: frustraque ad artem configere cum, qui epistolam ad amicum de re inopinata ex tempore scribere uoluerit, oblatō scilicet arguimento, non quæstio: præsenti enim consilio utendum esse, quo nihil est in stylo magis precipuum, quia uarie & ad rerū momenta uertitur. Expedit enim interdum mutare ex constituto & tradito ordine aliqua, & non nunquam

nunquam decet, ut in statuis ac picturis uidemus uaria  
ri habitus, uultus, status, pro re nata. Idcirco utili-  
tas quibuscunque præceptis et magistrorum autorita-  
tibus preferenda est: sed ita tamen, ut artis ipsius ratio  
et frequētior sit et potior. Quo magis ridiculi sunt,  
qui omnes epistolas in salutationem, exordium, narra-  
tionem et conclusionem partiuntur, inq; ijs putant to-  
tam artem consistere. Neq; enim ijs simul omnibus sem-  
per, sed nec frequenter admodum opus est: atque ut in  
orationibus pleraq; mutantur causis, temporibus, ne-  
cessitate, occasione: ita in epistolis maxime, que et ua-  
rio constat arguento, et ad diuersi cum generis, tum  
ordinis, tum ingenij homines scribuntur, nec uno tem-  
pore, nec loco. Prudentia itaque opus est, artis ipsius  
uel socia uel parente. Qui enim ex uno præscripto lo-  
qui omnia uel scribere conantur, uirium parū habeant  
necesse est. Qui uero nunquam præcepta sequuntur,  
et quo se cunq; rapit impetus sequuntur, percurrūtq;  
uelut effusis habenis, soluti et fluentes, multa licenter  
effunditant, scilicet sine delectu. Quare utriq; rei adhi-  
bendus est modus. Quanq; uero confitendum illud, doctri-  
nam detrahere aliquid stylo, ut limam rudibus, et co-  
tes hebetibus, et uiro uetus statem: uicia tamē detrahit,  
atq; eo solo minus est quod literæ perpolierunt, quo me-  
tius est, ut Fabius inquit. Nec audiendi illi, qui mai-  
rem uim habere credunt ea, que non habent artem,

D. ERASMI ROTER.

ut effringere quam aperire, rumpere quam soluere, trahere quam ducere putat esse robustius, ut Quintilianus scribit. Videntur quidem indocti copiam habere maiorem, quod dicunt omnia, & nulla lege cohibentur, sed soluti & exleges impetum sequuntur, quem doctis lectio sit & modus. Non ergo illa est uis, sed violentia: nempe eorum, qui sine labore, sine ratione, sine disciplina disertos sese uideri uolunt.

DE TRIBVS GENEBRIBUS CAUSARUM.

CVM ergo tria sint causarum genera, quibus orator utitur, demonstrativum, deliberativum, iudiciale, ut Ciceroni & Quintiliano placet: ad hæc tria epistolarum species omnes esse reducendas, facile is intelliget, qui latentem in veterum epistolis artem excutere aliquando tentauerit: quiq[ue] fastidito triuiali isto scribendi ac loquendi genere, legem sequi certamq[ue] rationem maluerit, quam passim ac sine delectu tumulatuari, quod infra latus explicabitur.

DE MONSTRATI  
uum genus.

Demonstrativum genus constat laude & uituperatione, quod quidem primò ad ostentationem fuit compositum, mox etiam a Romanis negotijs civilibus

bus adhibitum: funebres enim orationes ex publico pen-  
dente interdum officio, atq; ex senatus consulo sepe ma-  
gistratibus mandantur. Hominis uero laus, ex animo  
et corpore et extra positis peti debet: ut et Aristote-  
li et Quintiliano placuit. Ad hoc itaq; genus refe-  
rendae sunt epistolæ, que uel laudant aliquem uel uitu-  
perat, ea ratione quæ suprà posita est. Eius generis est  
epistola Plini, cuius principium est: Si quando urbs no-  
stra, et c. prima Ephratem philosophum Plinius ab an-  
ni bonis, eximijsq; uirtutibus ut humanitate et elo-  
quentia deinde à bonis corporis et à corporis proceri-  
tate, decora facie, demissso capillo, ingenti et cana bar-  
ba: postremo ab externis, quanq; leuiter et obiter, ut  
cum eū dicit, Juliani Pompeij clarissimi iurisconsulti et  
consulis generum fuisse. Eius generis est epistola apud  
eundē: Petis ut fratri tui filiæ, et c. laudat enim Minu-  
tum ab honestate morum, clara patria, clarisq; paren-  
tibus, et ab ea maxime uerecundia qua magistratus  
plurimos gesserat, deinde à facie liberali et ingenua,  
à totius corporis pulchritudine, et quodam senatorio  
decoro: deniq; ab amplis facultatibus et maximo censu  
maiorum. Inueniuntur aliæ et apud alios et apud ip-  
sum epistolæ simili artificio composite, ex quibus uni-  
cuique promptum est, sive epistolæ artem et rationem  
desumere. Totidē uero modis uituperatur quis, quibus  
laudatur: quare superuacaneum uidetur hoc adjicere.

D. ERASMI ROTER.

Ad hoc genus pertinent nō modo hominū, sed urbium, viliarum, montium & locorum descriptiones, que plerunq; & orationibus & epistolis necessariō incidentur. Cuiusmodi est apud Ciceronem Siciliæ descriptio. In ijs autem postremis, speciem intuēnur & utilitatem spicem in maritimis, planis, amœnis: utilitatem in salubribus, fertilibus. Addendum illud: nullum esse genus cui plus ornamēti liceat adhiberi, aut in quo indulgere sibi plus posſit orator. Nam & poëticē euagatur non-nunquam, & ſeſe uelut extra præscriptos cancellos agit, ut in panegyrieſ fieri uidemus. Sed epistolæ ſuas est modus. In descriptionibus huiusmodi utendum uerbis, quam maxime proprijs & ornatis. Et interdum latius agendum, nec historicē modo, ſed poëticē etiam. Poëticē quid: ut cum amœniſimam uillam describen-tes, eandem Muſarum Nymphařumq; contubernium esse dicimus: quale est Virgilianum illud in descriptio-ne portus Carthaginensis, cum inquit, Intus aquæ dulces, uiuoq; ſedilia ſaxo, Nymphařum domus. Etenim ſi id in oratione nō negatur, cur idem in epiftola nō licet, que & familiaris eft, et plerunque ab ocioſis ſcribitur, non expectato etiam argumento? Etenim ut ſit ars epiftolis adhibenda, ſolutius tamen eft & liberius toto hoc ſcriptionis genus. Orationum enim, ut inquit Fa-bius libro nono, quædam iuncta eft atque contexta ſeu perpetua: ſoluta alia, qualis eft in ſermone & epifto-lis

lis: nisi cum aliquid supra naturam suam tractat, ut de philosophia, republica, & similibus rebus arduis. Porro ut quisque optime rem aliquam descripsit, ita nobis studiose imitandus. In locorum quidem descriptionibus Liuius, interdū & Sallustius: sicuti in alijs Plinius, prae Sertim ubi uel regionis, uel beluae alicuius ac feræ, pis- cis, arboris, herbæ, floris, folij, radicis formam depin- git, ac ueluti penicillo deformat. Plurimū enim in hoc genere ualuit Plinius: nec satis est unum eius autoris exemplum inspexisse: legenda enim omnia, quo ad eius fieri potest, ac deligenda sunt optima queq; ut nō mo- do copiosi, sed etiam uarij ac multiplices fiamus.

### DELIBERATI- uum genus.

**N**unc ad deliberatiuum genus transcendū, quod multas species complectitur epistolarum. Nam & suasoriæ sunt epistole, & dissuasoriæ, hortatoriæ, et dehortatoriæ, petitoriae, monitoriae, amatoriæ, de qui bus postea suo ordine dicetur. In primis uero notandū, deliberatiū genus, qđ suasorum dici potest, utilitate ac honestate definiri: quanq; cum utile dicimus, honestū etiam uolumus intelligi: quando nihil utile dici potest, quod idem honestum non sit. Quare in hoc genere spe standa maxime ea est utilitas, quæ honestati coniuncta sit, neque suadere, persuadere, dissuadere, hortari, de-

D. ERASMI ROTER.

hortari, petere, mouere possumus, nisi ad supradictum  
scopum omnes, ut ita dixerim, stylis sagittas collima-  
uerimus. Huius tamen potius generis partes sunt, ho-  
nestum, utile, <sup>su</sup>wctōp, quod nostri possibile nomi-  
nare: que ut dura uidetur appellatio, tamen sola est, ut  
Quintilianus ait. Quas partes non omnes in omnem ca-  
dere quæstionem manifestius est, quam ut docendum  
sit: & si pleriq; numerum augent, à quibus ponuntur  
ut partes, quæ species sunt partium. Nam fas, iustum,  
æquum, pium, mansuetum, sicut qua adhuc adiçere q;  
eiusdem generis uelit, subijci possunt honestati, autore  
eodem Fabio. Iucundum uero, quod usq; adeo etiam ad  
persuadendum ualet, ut in quibusdam causis de sola iu-  
cunditate sit deliberatio. Sed tum demum maxime id  
ualet, cum honestatis speciem præ se fert aliquam, aut  
potius cum honestum etiam est ac laudabile: nemo est  
enim adeo luxu solutus, ut nihil in causa suadenda se-  
quatur præter uoluptatem: quare ut honestum iucun-  
do condiendum, ita iucundum honesto munientur &  
adiuuandum. Sæpe etiam utilitatem despiciendam esse  
dicimus, ut honesta faciamus: ut Opiterginis damus cō-  
filiū, ne se hostibus dedant: quanquam perituri sint,  
nisi fecerint. Et utilia honestis præferimus: ut cum sua-  
demus, ut bello Punico serui armentur, cum serui tamē  
pœna capitali à re militari arcerentur, autore Martia-  
no Luris consulto. Sed tamen nec hic plane cōcedendum  
est,

est, esse id in honestum: liberos enim Fabius ait, natura omnes homines, et eisdem constare elementis, et fortasse etiam antiquis nobilibus ortos dici potest: et quam serui, homines tamē, ut Seneca inquit, Commendatitia quoque epistola à quibusdam sub deliberatione genere comprehenditur: nam commendantes aliquem alicui, factum nostrum probare nimirum honestum, facile, atque utile esse. Nam laudantes eum quem commendamus, honestam commendationem nostram ostendimus. Ac primum quidem in hoc genere utimur principio aliquo, uelut captantes benevoleniam à modestia nostra: ut cum dicimus nos timide ad id officium descendisse, nec nisi precibus aliorum coactos, ac eorum quos commendamus. Deinde describendo eorum studia et mores, dignos monstrantes uel amicitia et familiaritate, uel beneficio aliquo ac munere eius ad quem scribimus: laudamusque interdum eos à generis claritate, aut à patria: sed multo efficacius ab ingenij doctrinæque dotibus, ut à modestia, fide, diligentia, discendi facultate, aut alia quapiam insigni eruditione. Efficacissima tamen illa ratio est commendandi, cum gratos illos et memores beneficiorum esse dicimus, quin ingratis hominibus quicquid confertur perire quodammodo existimetur. De facultate autem necessaria est ostendere, posse ab illo ad quem scribimus, hunc nostrum uitari aut oriari: quod etiam interdu per alios

G

D. ERASMI ROTE.

fieri potest, nempe amicos eius ad quem scribimus.  
Huius generis exempla multa sunt apud Ciceronem  
& Plinium: sed una epistola Pliniana sufficere potest,  
cuius in secundo libro principium est: Et tu occasione  
obligandi me, &c. & Horatiana illa breuis ad Clau-  
dium Neronem: nam & hoc uersu fieri potest, quo illi  
Septimium amicum suum maguopere commendat. Vti  
que illud spectandum in primis, ne quos commendemus  
indignos. Nam eiusmodi commendationis ferè comes  
est penitentia, quod & recte in epistolis præcepit Ho-  
ratius, ita scribens: Quem cui commendes, etiam atq;  
etiam aspice, ne mox incutiant aliena tibi peccata pu-  
dorem. Monitorie quoq; epistolæ & hortatoria, &  
quando contrariorum eadem disciplina est, dehortato-  
riæ, eadem propemodum ars & ratio est. Sed ubique  
præseui utendum est consilio, quod artis maximam  
partem continet: atque adeo ualeat, ut præcepta om-  
nia ab eo sumpsiſſe originem uideantur. Petendi quo-  
que ratio eisdem ferè locis conſtat: sed huic generi ad-  
hibenda est remunerationis species aliqua. Quale il-  
lud est Virgilianum, in Acoli ad lunonem oratione pe-  
titoria, que & ipsa incredibili conſtat artificio: Sunt  
mihi bis septem prestanti corpore nymphæ, Quarum,  
&c. Quare ut res tota breui pomero circumſcriba-  
tur, honestum, utile, facile seu possibile, ad deliberatiū  
generis substantiam in uniuersum pertinet.

I V D

**N**unc ad iudiciale uenientium est. Iudiciale genus, quod multiplex est et uariū, officijs potissimum constat duobus, intentionis ac depulsionis. Intentionem nunc dicimus accusationem, cum crimen reo intenditur: depulsionē, cum reus obiectum crimē defendit, & à se procul amat. Itaque accusatoriam epistolam, obiurgatoriam seu criminatorm, inuectuam seu uituperatiuam, in hoc genere reponimus: quamquam & hoc, ut sunt mixta inter se tria illa genera, sub demonstratio comprehendi posse. Excusatoriam uero, seu culpae deprecatoriam, prædictis annumeramus: in quibus omnibus argumentis pugnaciſsimis ac rationibus utendum est. Adiecerunt quidem mutuam accusationem, quæ Græcis ζωτικὴ γοργία, Latinis re criminatio dici potest, cuius duo genera Fabius facit: alterum, quo litigationes, hoc est, idem crimē inuicem intentant; alterum, quo aliud & aliud. Difficile est atem in tanta causarum & argumentorum uarietate, huius generis in uniuersum præcepta colligere. Primum illud sine controuersia aduertendum, augere per amplificationem quæ accusamus in alio, sicuti quæ obiecta sunt elidere, aut repellere, aut minuere: quia in re ita inardescit nonnunquam oratio, ut totos affectus effundat. Nam interdum in hoc genere optamus, abomini namur, rogamus, ac sollicitudinem quandam uel accu-

G 2

D. ERASMI ROTE.

sationis nostræ uel defensionis ostendimus, cuiusmodi  
sunt hæc: Utinam nunc reuiuiscat parens tuus, et  
item: Dij prohibete et mala. Te nunc o iupiter opti-  
me maximeq; rogo, et c. et infinita alias quæ quan-  
quam orationi magis conueniunt quam epistole, ta-  
men aliquando omnes affectus recipit. In his igitur fre-  
quenter utendum breui exordio, quo ad causam totam  
arte atque astu irrepimus, ut cum uel accusantes alia-  
quem, uel culpam deprecantes, infirmos nos esse di-  
cimus, et impares contra agentes, ne numia elati confia-  
dentia, minimam iustitiae ac probitatis nostræ fidem fa-  
ciamus: cuiusmodi proœmijs usum Messalam, autor est  
Fabius. Aptæ enim sunt eiusmodi exordia ad fauorem  
emerendum: quando natura ijs libenter faciemus, quos  
laborantes uidemus et anxijs, nec sibi plus nimio fi-  
dentes: inde illa ueterum circa occultandam eloquen-  
tiam simulatio, et procul ab omni fastu posita, sim-  
plexq; ac submissa. Vitandum etiam, ne contumeliosi,  
malici, superbi, maledici in quenquam hominem or-  
dinemue esse uideamus, cuius generis exemplum hoc  
esse potest. Non sum nescius, quam difficile sit suam in-  
nocentiam tueri, aduersum te tam receptæ autoritatis  
uirum, cuiusq; tanta dicendi uis, ut nihil non persuas-  
dere possit: tam fauorabili apud omnes ordines nomi-  
ne, ut uel tacens ipse, communis omnium consensu, ab  
eo absolui criminè possit, quod mihi nuper abs te obie-  
ctum

Atum iustissime in te torqueatur. Sētio quād duras par  
 tes sustineam; quanquam difficile munus, sed necessa  
 rium tamen subicrim, respondēdi tibi, tam exigua, tam  
 nulla eloquentia nostra, cui etiam si quid erat antehac  
 uigoris, totū id excusationis huius anxietas ademerit.  
 Illud notandum, etatem multum in hac parte iuuari  
 procēmio, ut cum iuuenes nos dicimus, aduersarios ue  
 teranos ac emeritos, qui uel solo rerum iusu, quantam  
 libet uel doctrinam, uel innocentiam nostram euincere  
 possunt. Aut contra, cum senectam nostram, quam quie  
 tam & placidam esse oportuerat, ab ijs turbari  
 dicimus, qui etatis nostrae reuerentia  
 timidiiores esse debuerant, ac  
 uerecundiōres.

F I N I S.

G 3

ERASMVS ROTERO=

damus Lectori S.



V A N D O typographorum manus  
cohibere nō possum, id quod possum, non  
te patiar falli, Lector amice: Hoc opuscu-  
lum truncatim deceptum est ex quodam  
commentario, quem ante annos quadraginta tumul-  
tuario labore intra biduum conscripsi, sed uni priua-  
tim: nimurum rudem rudi, crasso crassum. Quis sit hic  
artifex, uel absq; cribro facile diuino. Eum honoris  
causa non nomino. Pleraq; detruncauit, nonnulla de  
suo adiecit, quedam per inscitiam deprauavit: uelut il-  
lud, Quem cui commendes, corruptit in, Quidam com-  
mendes, non agnoscens sermonis elegantiam. Præfatio-  
nem ueterem addidit, sed mutato nomine. Nam ego Pe-  
trum Paludanum hominem natum noui neminem. Ad-  
fecit de suo epistolam, ad nescio quem Fabricium: in  
qua nullum uerbum est meum, nec est quicquam  
illa insulsius. Admonui, meo sum fun-  
ctus officio. Vale  
Lector.

ME

METHODVS CON-  
FICIENDARVM EPI-

stolarum, per Conra-  
dum Celtem.

Q VID SIT EPITSOLA.



PISTOLA nuncia mentis, &  
uelut quidam est uector atq; internun-  
cius sermonis nostri, desiderijq; & con-  
ceptus unius ad alterum absentem, rubo-  
re aut alio casu loqui certioremq; reddere nequeuntis  
significatio, uel qua cum amicis & inimicis tacitas no-  
stras cogitationes uoluntatemq; communicamus.

Q V A M V A R I A E P I S T O  
larum genera.

E Pistolarum alia diuina, humana alia est. Et diu-  
na quidem, cœlestis, sacra, aut moralis est. Huma-  
na, grauia, consolatoria, amatoria uel amica exprimit.  
Graue genus, scuera, ardua, difficultia, nouaq; & quoti-  
die accidentia continet, puta quæ belli aut pacis tem-  
pore ex castris ad urbem, aut ex urbe ad exercitum, et  
qua simul nouæ historiæ scribuntur. Consolatorium, si  
amici, uel propinqui, aut chari mors, calamitas, i media,  
aduersaq; fortuna interuenerit, unde nobis consolandi

## CONRADI CELTIS

illius offertur occasio. Amicum seu commendaticium, cum amicum quempiam familiarem, notum aut ignotum literis commendamus. Amatorium, cum dulcia, exhilarantia, et ad amore pertinentia petulanter penè & amante scribimus. Hortatoria, propria uel aliena promittit: & propria quidem, cum res domesticas & familiares continet, utputa prædia, agros, uinum, pecus, frumentum, seruos, & id genus plura; aliena, cū filios, affines, familiares, sodales, discipulos, aut Principes, aut quoscunq; alios ad mores, studia, immortalem gloriam, ad laudem & decus, ornamentumq; exhortamur et impellimus. Ex his igitur aut similibus rebus epistolas nostras constare necesse est.

## EPISTOLA QVOT PAR- tes in se complectatur.

Artes epistole quinq; sunt: Principiū, causa, nra-  
tio seu expositio, enumeratio, et character. Initium  
epistole est per quod animus eius ad quem  
scribimus constituitur, & preparatur ad percipiendū.  
Causa est, quæ animum nostrū impellit ad scribendum.  
Narratio, per quam aperimus quid ab alijs fieri uolu-  
mus, aut quid factum sit demonstramus. Enumeratio,  
conclusio est epistole & eius terminus. Character est,  
qui continet ea quæ intra & extra epistolam sunt: de  
quibus iam ex ordine dicemus.

EX-

EXORDIVM EPISTOLAE SIVE  
principium, quibus sit modis constituendū.

**S**icut citharœdi pauca illa quæ ante legittimū certamen inchoant, emerendi fauoris gratia canunt: sic scribens epistolā animū eius ad quem scribit conciliare curabit: id aut̄ duobus modis fieri poterit, salutatione et præmio: Salutatione quidē semper, ut nostrū eiusq; nō mē præponatur in capite epistolæ: ubi etiā si homo inseparatus ad maximū Pontificem, Regē aut Principem scripturus sit, nostrū tamē illius nomini præponemus: deinde dignitas officij, ordinis, magistratus, uirtutis nomen tam nostro quam suo adiungemus: ut, Co. Cel. P. P. Friderico tertio Imperatori S. P. D. aut, Innocentio octauo Pontifici maximo: aut, Andreæ Pegaso cui liberalissimo. Contra uero agentes neq; Græcorū neq; Latinorum, sed barbarorum morem sequuntur, & à pueris nuper inuentum, & à sordidissimis hominibus in assentationis speciem inductum, in quem errorē ferè omnis nostræ etatis sex currit.

Proemio utimur in epistolis nostris, dum attentum, docilem & beneuolum eum ad quem scribimus, facere curamus. Hoc autem initijs epistolarū perquam necessarium est: illi enim ad quem scribimus, animum permulcemus, ut procedere ultra possimus, & quæ scribimus legantur & admittantur. Dociles habere poterimus, si summam rei exposuerimus: Attenuos si

G 8

## CONRADI CELTIS

pollicebimur de magnis rebus & insolitis nos uerba facturos. Benevolentiam habebimus, si à nostra persona, uel ab aduersarijs incepimus: maxime si nostra in coramoda proferemus, inopiam, solitudinem, exilium, calamitatem: item cum officia nostra in patriam, in amicos, sine arrogancia tamen, referimus; dummodo haec omnia ad rem ipsam, de qua agitur, sint accomodata. De quibus rebus circa orationis partes à nobis dictum est.

## DE CAVSSA ET NARRATIO= ne quæ per expositionem fit.

**E**T naturalissimum est, & fieri debet frequentissime, ut præparato per ea quæ dicta sunt eius ad quem scribimus animo, res quæ exprimenda est scribatur. Ea autem est causa, & eius expositio, quæ ex narratione pendet. Videndum igitur nobis hoc, & quomodo singulas epistolas scribimus exponendum. Diuinas narrabimus, si scripscrimus religionem, ceremonias, Dei q[uod] cultum, à maioribus natum & traditum fuisse, nobisq[ue] posteris in uirtutis famam, decoris & humanitatis exemplum & monumentum relictum; in statuis, simula chris, sepulchris, sanctissimis edibus, amplissimis templis, opibus & diuitijs, sumptibusq[ue] magnifice extratis, uasis consecratis, & eius generis innumeris: præterea si Deum secundum essentiam & personas describimus, statum angelorum, ordinem cœlorum, loca beatorum, poenas sotium, fidem, spem, charitatem, obse quium,

quium, mandatorum obseruationem, scientiam virtutum, urbium salutem, humanam societatem, honestatem, prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam, modestiam, opum & diuitiarum contemptum, castitatem, pudicitiam, humilitatem, uerecundiam, amicitiam & huiusmodi, cum oppositorum & contrariorum uituperatione adductis exemplis & historijs, scripsimus. Horum autem exempla in epistolis Pauli, diuinae cobi, Ioannis, diuini Hieronymi, Platonis, Senecæ, Augustini, aliorumq; doctissimorum virorum inueniri possunt. Circa quod cauendum summopere est, ne in barbariem cum nostri seculi & rudis uulgi hominibus cadamus: nihil itaq; nobis legendum erit, nisi quod caste, limatè, terseq; scriptum est: ab illis autem imperite & negligenter scriptis ita cauebimus, sicut à calamitate atque labore ingenij. Inquinata enim lectio sordes lectori ingerit, & mentem illius simili coinquinat tabe. Graue uero genus epistolarum exponemus: si amoto urbano, statum ducis, militū, reipub. exercitus declaramus. Et si animum fidum erga reipub. salutem, amota seditione eiusq; suspicione cum ciuium incolinitate aperimus. Et ista quæ ab aduersariis facta fuerit exponimus, si obsidiones, si induciae tractentur: at si suspicio interuenerit, illa excusanda est, ut si ciuis Romanus ab urbe exul cum exulum multitudine profectus fuerit, aduersus quem Po. R. Pontificem maximū & Imperatorem

## CONRADI CELTIS

legauerit, qui bellum contra eos mouerit, illi inscio populo cum Romano Pontifice aut Imperatore sermonem habuerine: ita excusatio formanda est. Innocentius Octauus pontifex maximus & Imperator Augustus S., P. D. S. P. Qu. R. Deum sanctosq; et homines testor, Patres Conscripti, quamente & quo animo semper in reipubli. fuerim, ut hac nihil antiquius & communius saluti & libertati uestrae iudicauerim: quod uobis breui probasse, nisi fortuna proprium consilium extorrisset: nam exercitus cunctus consuetudinem suam in ciuibus conseruandis, deq; communi pace seditione facta, retrinuit: me tanquam multitudinis ciuium Romanorum et salutis atque incolumitatis caussam suscipere, ut uere dicam, coegerit. In qua re ego uos Patres Conscripti, oro atq; obsecro, ut priuatis offenditionibus omisis, summe reipub. consulatis, & ne caussam uestram exercitus nostri, in ciuili dissensione sceleris loco ponatis: quod si salutis ac dignitatis rationem habueritis, melius & uobis & reipub. consuletis. Valete, ex castris: pri die Kalendas Quintil. Consolatorium autem expone mus, si nos dolore eius ad quem scribimus ascribendo deterrei ostendemus, & si ea lege nos homines natos scripserimus, ut ictibus telisq; fortunae exposita uita nostra sit: meminerimusq; cum fatis inevitabilibus nobis luctandum non esse, quibus nemo proprio consilio resistere potest. Præterea minus recusandum esse, ut ea qua natu

nati sumus conditione uiuamus, neue tam grauiter eos  
 easus feramus, quos nullo consilio uitare possumus. Et  
 si cogitauerimus quod alijs euenerit antea nobis quoq;  
 nouum non accidisse intelligamus. Idq; exemplo non  
 quidem catholico, uerum gentili probabimus ut, Fri=  
 dericus Romanorū Imperator Emanueli Paleologo Im=br/>
 peratori Cōstantinopolitano, S. P. D. Et si egomet qui  
 te consolari cupio, consolandus ipse sim, propterea qd<sup>o</sup>  
 nullam rem grauius tuli quam incommodum tuum; ta=br/>
 men te magnopere non solum hortor, uer umetiam pro  
 amore nostro rogo atq; oro, te colligas, uirumq; præ=br/>
 beas. Et qua cōditione omnes homines, & quibus tem=br/>
 poribus nati simus, cogites. Plus tibi uirtus tua dedit,  
 qui in fortuna abstulit: propterea qd<sup>o</sup> adeptus es, quod  
 no multi homines nouiter; amisisti, que plurimi homi=br/>
 nes nobilissimi. Ea demde uidetur conditio impendere  
 legum, iudiciorum, & temporū, ut optime actum cum  
 eo esse uideatur, qui uita superstes sit. Tu uero & qui  
 fortunam aduersam expertus, et liberos habeas, & nos  
 ceterosq; qui necessitudine & benevolētia tecum con=br/>
 iuncti sumus, magnam nobiscum facultatem habiturus  
 es, & cum tuis omnibus: his de causis debes istam mo=br/>
 lestiam quam leuisimē ferre: meus autem in te animus  
 erit, liberosq; tuos, semper quem tu esse uis & qui esse  
 debet. Vale.

Amicum autem epistolarum genus, aut commendatae

## CONRADI CELTIS

ticium, aut amatorium: urbanū etiam uel hortatorium est. Commendaticium quidem fit, si quos commendamus, amicitia, benevolentia, amore, affinitate, aut nobis uicinitate sunt coniuncti: aut si doctrina, ingenio, eloquentia, uirtute, nobilitate, dignitate, affabilitate seu comitate prædicti sunt, ut nostra commendatione digni uideantur: eos gratissimos & beneficiorum memor esse dicemus, & à prædictis laudabimus. Ingratitudinis quoq; cauſam refutabimus, cum nihil Deo uel hominibus iucundius quam se gratum exhiberi: & rursus nihil turpius quam ingratum iudicari: ueluti boues, qui in sterilibus campis iuga ferre nolunt: & licet pingu solum lasset, ipse tamē labor iuuat. Postea & commendationem à quo petimus honestam, facilem, posibilemque esse, per blandimenta & spem remunerationis exponamus: ut, P. P. Con. Cel. Marco Cardinali Hostenſi Salut. Plurim. Dicit: Quidam non est obscura in me tua benevolentia: eo fit, ut multi per me tibi uelint commendari. Nam cum mihi suprema familiaritas, necessitudoq; cum Francisco ciui foret, Eius fratrem hominem frugi & modestum summaq; uirtute prædictum, et nobis uehementer probatum, tibi maiorem in modum commendo. Gratum mihi feceris, si is intelligat meam apud te commendationem magno usui atque adiuuemento sibi fuisse. Vale.

Amatorium autem prosequemur, cum quodā animi affectu,

affectu, blāditijs, querelis, supplicationibus, miseria ple  
 nis & lachrymis, quas etiam supra epistolam effusas e=  
 miserimus. Item si munera & dona polliciti, corporis  
 membra cum laudibus eius ad quam scribimus exupera  
 tione, nostriq; diminutione, cum aliqua via diſsimulatio  
 nis describemus: aut si gratias habere uoluerimus, ani=  
 mo et corpore, aut fortunæ bonis nos eas reddere oſten=  
 demus: matris more, que plenis uberibus semper plura  
 reddat quām recipit, nosq; non ſpe maiora conſequēdi  
 sed animo aperto et hilari cum perpetua beneficiorum  
 commemoratione ne quaquam immemores fore expone  
 mus. Huius exemplum eſſe potest. C. C. P. P. Hasili= =  
 næ Eudemæ S. P. D. Non possum non cruciari dum mē  
 hi in mentem uenis, dum coma illa tua, dum crines &  
 oculi castigatissimi, & benignissima facies, dulcissimū  
 os, & labia suauissima menti ſe inſerunt & dumq; diua  
 illa ſtatura tua animo altius inſederit. Sed crudelis &  
 ſæua nil mea uerba curas, nil mei misereris, me mori per  
 mittis: nescio an fortunæ, an fato, an ſorti & inique  
 me & nativitati tribuendum fit, ut cum te non modo a= =  
 mem, uerum adamem, à te uix amari queam, iam lite= =  
 ras legis lachrymis meis illitas, iam locum uides lachry= =  
 mis deletum: noli ita crudelis eſſe, ſed aſta & ad me ac= =  
 cedas, teq; frui permittas: quid enim dulcius? quid iu= =  
 cundius? quām ut uiuamus, amemus, osculemur, & io= =  
 gemur? nec ætas, nec munera nobis deſunt, quibus gau

## CONRADI CELTIS

dere ualeamus : nec animus perpetuus, qui se tibi totum dedit. Vale, & mei minime obliuiscaris.

Hortatorium autem exponemus, si ostendamus nos nil gratia nostri aut alterius, sed eius ad quem scribimus petere : idq; fiducia, benevolentia, & necessitudine. Deinde incommoda quæ sequi possint, si non fecerit id ad quod hortamur aut debortamur. Rursus, quæ si paruerit commoda consequiturus sit: eaq; exemplis roboremus. Postremo si commodum suum minus attendere uoluerit, saltem nostræ benevolentie, amoris, necessitudinisq; gratia faciat. Ut si militantem in bello, & ad urbem redire cupientem, debortari intendis, hunc modum obserues. C. C. P. P. egregio adolescenti Nicolao Patricio S.D. In omnibus meis epistolis, quas ad Ducem uestrum mitto, legitima quadam est accessio commendationis tue, nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni iudicio mea erga te benevolentie, tu modo ineptias istas & desideria urbis depone, & quo consilio profectus sis, id assiduitate assequere et uirtute: exemplo Medea Reginæ, quæ licet mollis, delicata, & absens à patria dum rediret, à matronis interrogata respondit, pulchritus est ob uirtutem cōsequendam à patria abesse: nam muliti rem suam bene gesserunt procul à patria: multi uero qui domi aetatem egerunt, propterea sunt improbat: quo in numero tu certe fuisses, nisi te extrusissimus: sed plura scribemus alias: & quoniam Medeam agere coepi, illud

*Illud semper memento: qui sapiens ipse sibi nequit sape  
re, ne quidquam sapit. Cura ut ualeas.*

## DE ENVMERATIONE.

**T**erminus siue finis epistolæ tribus cōstare debet: persona, loco, & tempore: ut si uni scribimus, dicamus Vale, aut Cura ut ualeas: Vale, & me commendatum habe: Da operam ut ualeas: Vale, & me ama: Sis felix nostriq; memor, Vale diuq; uiuas. Vale militiæ decus, uel patriæ, uel literarum ortamen-  
tum & columen, & his similia. Locus, ut dicatur  
Datæ uel Datum Romæ. Tempus, ut dicatur Kalen-  
dis, Nonis, aut Idibus mensis alicuius, & anni, siue die-  
bus & septimanis. Prior autem epistolarum cōsigna-  
tio, hoc est, per Kalendas & nonas, doctòrum uirorum  
est, eorumq; approbata autoritate: pro quibus notabi-  
mus uniuscuiusq; mensis diem primum Kalendas uoca-  
ri, sed melius hoc ex istis patet uersibus.

Prima dies Mensis prisco dat more Kalendas,

Post numera Nonas, post Idus, postq; Kalendas,

Mars Maius nonas October sex tenet & Iul.

Octo tenet Idus mensis generaliter omnis.

Et quoniam omnes hi dies qui ante Kalendas &  
Idus currunt, præcedunt eos dies principales tres: ideo  
semper præpostero ordine, numerum dierum mēsium  
collacamus: ut octaua Idus, hoc est, octaua die ante  
Idus: octauo Kalendas, hoc est, octauo die ante Kalen-

H

## CONRADI CELTIS

das. Sicq; evenit, ut Kalendarum dies semper in priore  
mense computandi sint: ea ratione & nos cogimur,  
pridie Kalendas, pridie Nonas dicere, quod is dies pre-  
cedat Nonas & Kalendas & non sequatur.

## DE CHARACTERE.

**C**haracter est, qui intra epistolam aut extra scri-  
bitur. Intra quidem epistolam, characterem ob-  
seruamus, quum eloquutionis præcepta, qua à nobis  
superius tradita sunt sequimur: punctis orationis no-  
stre obseruatis: quorum sex sunt, Suspensius, Comma,  
Colon, Interrogatius, Parenthesis, & Periodus. Su-  
spensius est simplex virgula, qua solet quietis gratia  
poni, antequam sensus alicuius clausula haberi poscit.  
sic, ut Arma, Comma duo puncta sunt, ubi clausula  
uidetur completa, & tamen imperfecta est sic, ut Ar-  
ma, librosq; meos: diripuerunt milites. Colon punctus  
est, qui ponitur in fine clausulae, quando sensus perfe-  
ctus est, sic, ut Arma, librosq; meos: diripuerunt milia-  
tes, quanquam eos hoc uenturos nunquam existima-  
rim. Interrogatius virgula est obliqua, sursum ten-  
dēs puncto supposito sic: ut, De te quid dicam? Paren-  
thesis sententia est interposita in medium alterius sen-  
tentiae geminis cornibus clausa, ut arma, librosq; meos  
(sicut uidistis) milites diripuerunt. Periodus totius  
orationis terminus est, sic. Et hoc quidem intra episto-  
lam

Iam ter se politeq; seruari debet. Extra autem epistola-  
lam consignamus per characterem extrinsecum, hunc  
seruamus dum illi ad quem scribimus dignitatis titu-  
lum addimus. Idq; aut datiuo aut in accusatiuo casi-  
bus cum prepositione adscribere debemus: hos in tres  
ordines digessimus. Namq; tituli Romano Pontifici  
conuenientes illi esse debebunt, Sanctissimum beatissi-  
mum dominum nostrum Pontificem maximum, summa-  
mum sacerdotem & patrem clementissimum dicemus.  
Ad primos ab eo ordines, Reuerendissimum in Christo  
patrem & dominum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ  
Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, Cardina-  
lem, Patriarcham, Archiepiscopum, uel Episcopum di-  
cemus. Ad secundos, Reuerendum in Christo patrem  
& dominum Episcopum, Abbatem monasterij, aut  
Apostolicæ sedis protonotarium colendissimum & ob-  
seruantissimum. Ad tertios ordines, Venerabilem in  
Christo partem, dominum honestum, honorandum, re-  
ligiosum monachum, Canonicum, sacerdotem, uel he-  
remitam. Ad Cæsarem, sacram maiestatem, Romano-  
rum Imperatorem, Cæsarem Augustum, inuictissimum,  
gloriosissimum, fœlicissimum, et Cæsarem excellenti-  
ssimum, serenissimumq; dicemus. Ad primos ordines  
ab eo, sacram Regiam maiestatem, Regem, Ducem,  
Principem, Marchionem, Comitem Christianissimum,  
potentissimum, illustrium, inlytum, fœlicissimum.

## CON RADI CELTIS

Et illustrem dicemus. Ad secundos ordines, equites, barones, patricios, consules, senatores, praetores: nobilem, generosum, excellentem, illustrem, inclytum, præstamissimum, clarissimum, magnanimum, potenterem strenuissimum, spectabilem, insignem, magnificum, dicemus. Ad tertios ordines, milites, præstites, præclaros, singulares, officiosos, fortes, integerrimos, egregios, prudentes, humanissimos, discretos, industrios, rebus bellicis expertes, gloriofiosq; appellabimus. Ad thelogos, diuinarum literarum interpres, sacrarum literarum, sacrae paginae, sacrae theologiae magistros, doctores, professores, eximios et sapietissimos dicemus. Ad primos ab eis ordines, uates, musarum alumnos, lauro insignes, hedera decoratos, Appollini sacratos, Phœbi interpres, rerum naturæ scientes, historiae peritos, diuinos poetas, liræ modulatores, sacro numine afflatis, grauiissimos, iucundiissimos, ornatisissimos, celeberrimos, eloquentissimos, facundiissimos, Romanae lingue principes, humani eloquij ductores, disertissimos, copiosissimos dicemus. Ad secundos ordines, iurisconsultos, legum interpres, utriusq; iuris Doctores, ciuilis et Pontificij, egregios reipublicæ moderatores, et sapientissimos, prudetissimos, excellentissimos, eximios, integerrimosq; dicemus. Ad tertios ordines, medicos, medicinae doctores, artis medicæ professores, expertissimos, prudentes, philosophos, utriusq; medicinae interpres,

pretes, naturæ et caffarum speculatores, sapientiae  
 amatores, fideles, acutissimos, subtilissimos. Musicos,  
 argutos et iucundos, humanæ uocis magistros, directo-  
 res, modulatores uocalissimos. Ad geometras, immensi  
 mundi syderum et rerum indagatores, naturæ menso-  
 res. Arithmeticos et astrologos, acutos, diuinos, et  
 occultarum rerum indagatores, sapientes, fati inter-  
 pretes, futurarum rerum conscos et subtile, dice-  
 mus. Reliquos ab illis, optimarum literarum amatores,  
 bonarum artium studiosissimos, eruditos, doctos et hu-  
 mani studij decus dicemus. Ad cognatos, Charissi-  
 mos, dulcissimos, dilectissimos, obseruantissimos, opti-  
 mos, uenerandos, et perpetuo amore colendos, dice-  
 mus. Ad foeminas, castitatis decus, pudicitiae  
 exemplum, honestatis speculum, pudi-  
 ciessimam, castissimam, integerri-  
 mam et honestissimam ma-  
 tronam et dominam  
 dicemus.

FINIS.

H 3

METHODVS CON-  
SCRIBENDI EPISTO-  
LAS autore Christophoro  
Hegendorphino.

CHRISTOPHORVS HE-  
gendorphinus Laurentio Czoch  
discipulo suo S. D.

**B**NITERVM prodit opuscu-  
lum istud de conscribendis epistolis, &  
renatum & auctum. Tibi uero, mi Lau-  
rentii nuncupatur, ut, qui à me unice ama-  
vis, mei quoq; erga te amoris ἀνάμνησιν habeas. Tu  
uero milteras & Græcas & Latinas, ut soles, gnaui-  
ter incumbe. Nec te deterreat, quod hoc seculo tam  
literæ, quam literati contemptui sint. Redibit, crede  
mibi, redibit suus honor & literis, et literatis: nam om-  
nium rerū uicissitudo est, τοῖς δὲ μυστρῷ φόνῳ τὰ  
τερπνὰ ταιριά γίγνεται, κοῦ αὐθισφίλα, ut inquit  
Sophocles. Vale,

QVID SIT EPISTOLA.  
Epistola est sermo absentis ad absentem.

QVVR INVENTA.  
Ut faceremus certiores absentes, si quid effet, quod  
eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset: autor Ci-  
ceron libro Epistolarum secundo datur.

GE

## GENERA EPISTOLARVM.

Epiſtolæ aut ſunt Demonſtratiue, aut Suasoriæ, aut Iudiciales.

## DEMONSTRATIVVM

genus epiſtolæ.

Conſtat, ex laude ex uituperio, personarum, factorum, rerum.

	Natalibus,
	Pueritia,
Personam laudatur à	Adolescentia,
	Iuuentia,
	Senecta,
	Morte.

Laudari ex potestate persona ab animi bonis, id est, uirtutibus: à corporis bonis, à ualitudine, dignitate, uiribus, uelocitate: deniq; ab extraneis, honore, pecunia, affinitate, genere, amicitia, potentia, patria.

## SIC L A V D A T V R V S

Annubalem, ſcribere potes.

Annibal natus eſt patre Amilcare, uiro fortissimo, et cum iam eſſet annorum nouem, fama eſt cum puerili-ter blanditū patri, ut duceretur in Hispaniam, quum perfecto Africo bello, exercitum eō traiecturus ſacrifi caret, altaribus ad motum, tactis ſacris iure iurando ada-etur, ſe, quum primum poſſet, hostem fore populo Ro- mano. Missus Annibal in Hispaniam, primo statim ad-

CHRISTOPH. HEGEN.

Mentu, euentem exercitum in se conuertit. Amilcarem uiuentem redditum sibi milites credebant. Ingenium eius ad res diuersissimas, parendū et imperandū habile erat. Saguntum Romanis foederatum intra sex menses euertit. Alpibus patefactis, in Italiā traiecit. P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium apud Trebiam, Flaminum apud Trasimenum superauit, &c. Deniq; cum nemo per omnia sit fœlix, à Scipione superatus, ad Antiochum regem Syriæ configit: quo uicto, ad Prusiam Bythiniae regem concessit: unde Romanam repetitur, hausto, quod sub annuli gemma habebat, ueneno, absemptus est.

E X E M P L A L O =

corum aliorum.

Cicero libro Epistolarum quarto, epistola quæ incipit, Accipio excusationem, &c. Seruus tuus, uel potius noster, summa me obseruania colit, cuius ego cum omni probitate, summaq; uirtute, tum studijs, doctrinaq; delector, &c.

Cicero libro epistolarum nono,  
epistola, Et si contentus.

Nihil enim, mihi crede, uirtute formosius: nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut tuscis Marcum Brutum, propter eius summum ingenium, sua uiissimos mores, singularem probitatem, atq; constamtiam, &c.

PL I=

'Petis ut fratribus tui filiae prospiciā maritum, quod me  
 rito mihi potissimum iniungis. Scis enim quantopere  
 summū illum uirū susplexerim dilexerimq; quibus ille  
 adolescentiam meam exhortationibus foverit: quibus  
 etiam laudibus, ut laudandus uiderer, effecerit: nihil est  
 quod à te mandari mihi aut maius, aut gratius, nihil  
 quod honestius à me suscipi posse, quām ut eligam iu-  
 uenē, ex quo nasci nepotes Auruleno Rustico deceat:  
 qui quidē diu querendus fuisset, nisi paratus, & quasi  
 prouisus esset Munitius Acilianus, qui me, ut iuuenis  
 iuuenē (est enim iunior pauculis annis) familiarissime  
 diligit, reueretur ut senem: nam ita à me informari &  
 institui cupit, ut ego à uobis solebam. Patria est ei Bri-  
 xia, ex illa nostra Italia, quæ multum adhuc uerecun-  
 diæ, frugalitatis atq; rusticitatis retinet ac seruat. Pa-  
 ter Munitius Macrinus, equestris ordinis princeps,  
 quia nihil altius uoluit. Adlectus à diuo Vespasiano in-  
 ter prætorios, honestam quietem, huic nostræ ambitio-  
 ni dicam, an dignitati, constantissime prætulit? Habet  
 auiam maternam, Serranam Proculam ē municipio  
 Patauio: nostri loci mores. Serrana tamen Patauinis  
 quoq; seueritatis exemplū est. Contigit et auunculus ei  
 P. Acilius, grauitate, prudentia, fide propè singulari. In  
 summa, nihil erit in tota domo, quod non tibi tanquam

H 5

CHRISTOPH. HEGEN.

in tua placeat. Aciliano uero ipsi plurimum uigoris, in  
districtis quiq; in maxima uerecundia questuram, tri-  
bunatum, praetoram honestissime percucurrit, ac iam  
pro se tibi necessitatem ambiendi remisit. Est illi facies  
liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa. Est in-  
genua totius corporis pulchritudo, et quidam senatorius  
decor, que ego nequaquam arbitror negligendas  
debet enim hoc castitati puellarum, quasi præmiū dari.  
Nescio an adiūcia, esse patri eius amplas facultates, etc.  
Idem loci sunt uituperij. Nam et à natalibus obscuris,  
pueritia tarda, adolescentia stertente, maliciosa, iuuēta  
ignava, senectā inopi, morte ignominiosa, uituperan-  
tur personæ. Exempla suppeditabit frequens lectio epi-  
stolarum et Ciceronis et Plini.

G E N V S D E M O N S T R A

tiuum epistole ipsius facti.

In hoc facta laudamus et uituperamus.

L O C I C O N F I R M A-

tionis sunt.

Honestum, utile, facile, piuum, iustum, etc.

E X E M P L U M .

Multa sunt Romanorum præclara facinora, sed hoc  
facile clarissimum est, quod P. Decius pro salute ex-  
ercitus Romani se dijs manibus ultro deuouerit: nam  
quid honestius et sibi priuatim, et publice omnibus  
facere

facere potuisset? Priuatim, quod nō parui animi sit mor  
tem opp̄tere, uitam, qua nihil charius homines habēt,  
tam lubens ponere. Neq; uero id temere fecit, sed ad-  
monitus somnio, seu potius diuino adflatu, se deuouet.  
Publicè uero, quod nō potest non honestum esse, quod  
uir bonus pro salute patriæ molitur. Age uero, quot  
commoditates hoc suo facto attulerit uide. Duces opti-  
mos quoque seruauit, Exercitum uictorem domum re-  
misit, Troianis eternam gloriam peperit, se denique à  
mortalitate vindicauit. Pater patriæ iure suo dici po-  
test. Quid uero commemorem, quām difficile hoc fa-  
ctu fuerit. Nemo non hominum amat uitam: hæc si po-  
nenda est, dolemus, quantumuis simus fortes. Virtus  
men ille cum uideret sua uita reipub. salutē periclitatu-  
ram, maluit rem publicam quām se incolumem.

## A L I V D.

Quod ducentos ducatos ad ludum literariorum erigen-  
dum dedisti, uehementer laudandum censco. Quid e-  
nim honestius, quām de literis benemereris? quid magis  
pium, quām bonorum iuueniū studia in urbe alere. Por-  
rò si Demosthenes essem, cōmoda facti tui, quid dicam  
exornare, uix enumerare possem. Principio, uide tua  
priuata commoda, laudaberis donec illæ ciuitatis reli-  
quiae superuerint, tum (cum nemo non morti obnoxius  
sit) hoc tuo beneficio te à morte asseres, ut qui semper  
in hominū pectoribus, in monumentis cruditorū uictu-

## CHRISTOPH. HEGEN.

rus sis. Non enim ingratæ sunt literæ, immortali præconio ornant suos instauratores. Porrò ecquā putas multos insigniter eruditos iuuenes uelut ex equo, quod aiunt, Troiano, ē ludo isto prodituros. Et cum Plato beatas res pub. dixerit, quas aut Philosophi gubernarent, aut in quibus gubernatores philosopharentur: beatissima erit res pub. tua, quæ à tot eruditis uiris gubernabitur, idq; beneficio tuo, &c.

## GENESIS DEMON-

stratiui epistolæ.

Cuius loci sunt, honestum, utile, facile, difficile. Honestas, rerū antiquitate, miraculo rei, inuentoribus trāstat. Utīlitas spargitur in multa, cum circumstantijs docemus, quibus, quando, ubi, cur res sit utilis.

## EXEMPLVM.

Theologia merito omnibus literarū studijs preponitur, ut quæ antiquissima est, ut quam inueniēt̄ ōteōz, cuius nec principium nec finis est: quam ut mūdo palam faceret Christum de cœlo demisit. Hic eam per prædicationem & suam & apostolorum in totum orbem terrarum enuntiavit. Commoda Theologie, conscientie trāquillitas, iustificatio nostri, uita æterna, unicā propugnaculum aduersus peccatum, mortē, diabolum. Facilitas. Si enim temetipsum abneges, si de te desperes, adest sp̄ritus ille domini, et sine negocio te in penuria sua perducit.

HVC

## H V C R E F E R

descriptions.

Ducibus, Regibus,

Regionum, quæ Vrbium frequentia,  
 laudantur à      Celebritate, Copia annonæ,  
                       Tuto transitu.

Exemplum est, ut apud Plinium libro 3. cap. 5. Vbi  
 Italiam sic laudib. tollit; iam uero tota ea uitalis ac pe-  
 rennis salubritatis cœli temperies est, tam fertiles cäpi,  
 tam aprici colles, tam innoxij saltus, tam opaca nemo-  
 ra, tam munifica syluarum genera, tot monium adfla-  
 tus, tanta frugum & uitium olearumq; fertilitas, tam  
 nobilia pecori uellera, tā opima tauris colla, tot lacus,  
 tot amnium fontiumq; ubertas, totam eam perfundens,  
 tot maria, portus, gremiumq; terrarum commertio pa-  
 tens undiq; & tanquam ad iuuandos mortales ipsa a-  
 wida in maria procurrens, &c.

Vrbium, quæ Repub, Senatu, populifrequentia,  
 laudantur à      bellicositate, ciuium urbanitate,  
                       cōcordia, domorum magnificentia,  
                       rerū uariarū copia, non ita magno  
                       parabili, ab aëre, à uicinia, uilla.

Verg pri. Aeneidos.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Carthago,  
 Italiam contrâ, Tyberinaq; longe Hostia, diues opum,  
 studijsq; asperrima belli, Plinius libro tertio capite

# CHRISTOPH. HEGEN.

quinto, Romam sic laudat: Vrbs Roma uel sola, quo  
tandem narrari debet opere, &c.

Atrio,	
Magnitudine,	
Figura,	
Cubiculis,	
Aedificiorum, quæ	Conclauibus,
laudantur ab	Situ,
	Prospectu,
	Vestibulo,
	Penetalibus,
	Triclinijs.

Exemplum habes apud Plinium libro epistolarum  
secundo: epistola ad Gallum.

Homerus libro Ilia. 2. domum Priami sic describit:  
ΑΙΓΑΙΟΝ οὐ πριάμοιο θόμορ περικάλλες ἵκανε  
Ξεσῆθ' αὐθέσθησι πετυγμένομ, αὐτὰρ ἐν αὐτῷ  
Πεντήκοντ' ἔνερχεν θάλαμοι ξέσοιο λίθοιο  
Πλησίον δὲ λίγλωμα μεταγενέσιοι. ἐνθαδε ταῦλις  
Κοιμῶντο Πριάμοιο πρᾶξι μνησῖς ἀλόχοισι.  
Κεράωμ δέ τέρψθερ γνωντίοι ἐνθοθεν αὐλῆς  
Δώμενας ἐρχεγοι θάλαμοι ξέσοιο λίθοιο.

## H O C E S T.

Sed cum iam ad Priami domum ualde pulchram ue  
nisset, politis parietibus fabricatam, et in ipsa quinqua  
ginta inerant thalami de polito lapide, probe inter se  
con-

constructi, ubi filij dormiebant Priami propter despon  
satas uxores: filiarum uero ex altera parte e regione in  
ter aulam duodecim erant sublimes lecti de polito la-  
pide, &c.

Ab amplitudine, cursu, colore, ortu,  
nimirum unde nascantur: locis, quæ  
Fluminū quæ præterfluunt, quæ influunt.  
laudantur, Agris, nemoribus, quæ irrigant, pisci  
um genere.

Exemplum inuenies apud Plinium libro quinto, cœ= pitulo nono, ubi Nilum describit. Vergilius libro 2. Ac= neidos: Leni fluit agmine Tybris. Ecce à cursu Ty= brim laudat.

Plinius libro quinto Cap. 28. Amnis Indus in Cybi= ratarum iugis ortus, recipit sexaginta perenes fluuios, torrentes uero amplius C, &c.

Quid ferant, quantum,  
quo ritu colantur, cuius= Agrorū, qui laudātur ab his modi cultores habeant.

Quod arborum genus,  
quod unum proferant.

Huc refer laudes amoenitatum ruris.

Horatius lib. Epistolarum. 1. epistola ad Faustum:  
Nouisti ne locum potiorem rure beato?  
Est ubi plus tepeant hyemes? &c.

CHRISTOPH. HEGEN.

Radicibus,  
Montium qui Si quid habeant nouum,  
laudantur a Quid prodigiosum,  
Quid memorabile.

Plinius libro 3. capite 8. Aethna mons nocturnis mē  
rus incendijs.

Virgilius libro 3. Aeneidos.  
Ipse sed horrificis iuxta sonat Aethna ruinis,  
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem,  
Turbine fumantem piceo, & cadente fauilla,  
Attolitq; globos flammarum, & sydera lambit,  
Interdum scopulos, euulsaq; uiscera montis.  
Erigit eructans, &c.

GENERICIS DELIBES

ratiui epistolæ.

In hoc suademos aliquid, aut dissuademos.

CVIVS LOCI SVNT.

Honestum, utile, possibile, necesse, facile, iucunda  
dum, pius, iustum, æquum, gloriosum. Porro honesti  
ratio in uirtutibus sita est. Proinde si honesti fontes sci-  
re uis, necesse est ut uirtutum singularum rationes tene-  
as, quas ex 1. Officiorum libro perdisces. Cæterum de  
utilitate supra diximus. Necesse est, ut inquit Cicero,  
sine quo salvi esse non possumus.

ALIQUIOS HOS LO-

cos recensent.

Laudem

Laudem, gloriam, fidem, iustitiam, quæstum, emolumen-  
tum, fructus.

Hi uero loci cum superioribus re ipsa conueniunt.

## E X E M P L V M .

SVADET AMICVS AMICO,

ut iuri ciuili nauet operam.

Audio te uir optime, tecum inire rationem, cuinam  
studiorum generi te tradas. Tu uero si amici consilium  
admittis, suadeo ut animum tuum ad iuris ciuilis scien-  
tiā adiungas. Quid enim honestius hoc studio aut di-  
ci, aut fungi potest? Hoc poteris succurrere oppresso, iū-  
dicare pupillo, defendere uiduam. Quid porrò necessa-  
rium magis? Tolle ē medio ius ciuile, & omnes urbes  
subuerteris, omnes rerum publicarum formas confude-  
ris. Non opinor ignoras, quid dicat Cicero in oratione  
pro Cuentio. Quod hoc uinculum sit ciuitatis, hoc fun-  
damentum libertatis. Ut enim corpora nostra sine men-  
te, ita ciuitas sine legibus, suis partibus & nervis, &  
sanguine, & membris uti non potest. Audi uero quid  
dicat idem Orator pro Cecinna: Nihil in ciuitate, in-  
quit, tam diligenter retinendum, quam ius ciuile: quo  
sublato, nihil cuiquam exploratum esse potest, quid  
suum, quid alienum sit. In hoc enim incumbit ius ciui-  
le, ut optima ciuitas constituatur, Alcinnoo autore. En-  
habes iuris ciuilis necessitatem, iam uero quantum ad

CHRISTOPH. HEGEN.

ferat ijs qui ei præsunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? & ut alios omittam, quantum splendoris ars hec Nutio Scœnolæ attulit, ut cuius domus uerum oraculum ciuitatis Romanae dicta est. Sabinus quidam uir angustæ rei familiaris propter iuris ciuilis studium, à Tyberio Cæsare in equestrem ordinem iam grandis natu, & ferme quinquaginta annorum, exceptus est. Caius Caſius Longinus sub eodem Tyberio in maximo honore habitus est, sub Claudio præfectus Syriæ creatus. Quod si queſtum quoque ambis, nulla est ars que stuſior: id quod uerſiculus ille, licet in syllaba una uulgo uitiosus, ſatis arguit: Dat Galenus opes, & ſanctio Iuſtiniani. Quid quod re ipsa uides nullum quantumuis mediocriter iuris peritum, rei familiaris inopia laborare? Nec uero eſt quod te difficultas deterreat: ſtudium iſtud admodum facile eſt, ſi quis illud disciplinis alijs inſtructus adeat. Tu uero cum ſis linguarum callentissimus, facundia facundior, memoria uiuacissima præditus, quid obſcro difficultatis perſenſurus es? Ac cedit huc quod totum iſtud uis in certos, nec illos innumeros libros relatiū eſt: quos ſi perdiſceris (perdiſces uero, ſi ingenium intenderis) tantum non alter Scœnola futurus es. Hic quoque certum aliquem ſcriptorem elige: nec fac ut pleriq; faciunt, qui iam illius, iam iſtius autoris interpretamenta ſequentes, et ipſi incerti ſunt quos ſequantur, & auditores multo incertiores abeūt.

Dca

Denique est mira quædam in cognoscendo iure ciuili  
suauitas & delectatio. Nam (ut Ciceronis uerbis utar)  
si quem aliena studia delectant, plurima & in omni iu-  
re ciuili & in Pontificum libris, & in XII. tabulis  
antiquitatis effigies, quod & Romanorum præsca ue-  
tustas cognoscitur, & actionū genera quædā maiorum  
consuetudinē uitamq[ue] declarant. Age igitur, cum iuris  
ciuili studio nullum sit honestius, nullum magis nece-  
ssarium, nullum utilius, facilius, deniq[ue] iucundius, Co-  
rœbo (quod aiunt) stultior eris, si non ad hoc studium  
animum tuum appuleris. Vale.

## CONTRARII LOCI SVNT

in dissuadendo scilicet.

In honestū, inutile, difficile, nō necessarium, impium,  
periculosum, impossibile.

## E X E M P L V M .

Dissuadet amicus amico ne mercaturæ studeat.

Licet amicorum mellitiſſime, ipſemet confidio ua-  
les, tamen cum te plurimū amen, non possum non, quid  
ego de tuo instituto ſentiam, apud te expromere. Ru-  
mor eſt te mercaturæ uacare uellet quod ne facias, ſua  
deo. Principio non potest per opes tuas fieri, ut copio-  
ſam mercaturam instruas. Mercatura autem, ut inquit  
Cicero, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt. Sordidi enim  
putantur, qui mercantur à mercatoribus quod statim  
uendant. Quid queso proficiunt, niſi admodum men-  
tian: ur̄ nec uero quicquam turpius eſt uanitate: hæ

CHRISTOPH. HEGEN.

ille. Porro pone ob oculos pericula, quæ tibi ingruent,  
ubi iā huc, iā illuc, uel pedes, uel eques proficiseris: si  
quid pecuniarū in zona tecū gestaueris, mille infidia  
tibi tendentur: si merces aliquas coemeris, iā uel in ma  
ri intercedunt, uel in uia pedestri à latronibus interci  
pientur. Taceo imbræ, tonitruæ, grandines, quæ tibi  
iam huc, iam illuc proficisci imminebunt. Omittio la  
borem emendi, uchendi domum: has, inquam, malorum  
Iliades reputa, et mirum nū cane peius et angue mer  
caturam oderis. At quæstus forsitan tibi arridet. Ve  
rum heus tu quām quæsto sordidus es: quām impius? si  
quidem tures minoris emis, ut pluris fratri tuo uendas.  
En quām pius quæstus. Quid uero si aliquando cum  
merce una aut altera, tantum tactuæ acceperis, quan  
tum in multis non resarcire potes? Quid uero ubi non  
semper pecunia præsente emere poteris, et maioris  
emas, quām reuendere unquam queas? Quid si aliquan  
do unam rem plures alij emerint, et tua tibi domi ma  
neat, ubi tūc manebit quæstus? Deniq; quæ necessitas,  
si Dijs placet, Diomedæa te ad mercaturam adigit? an  
non literas tenes? quæ unæ te quoq; terrarum ue  
neris alere poterunt? quæuis enim terra alit artem.  
Ecquær non potius te ad certum aliquod studiorum ge  
nus transuersi uel medicinam, uel si mauis etiam iuris  
prudentiam hac sanè uia citius ad honores, quorum  
scio te esse famelicum, ad opes quas amabis, prouche  
ris.

ris. Proinde, si me amicum uis, aliò institutu*tui ue-*  
la uerte.

EXEMPLVM DISSVASORIAE  
orationis habes apud Cic. & Philip.

	Conciliatricem,
	Exhortatoriam,
Ad hoc genus	Dehortatoriam,
epistole, refer	Petitoriam,
Epistolam	Commendatoriam,
	Consolatoriam.

Conciliatrix epistola est, qua conciliamus uel nos= metipsoſ alijs, uel alioſ alijs.

Loci sunt ijdem qui suazorie epistolæ: dicimus honeſtum eſſe, ut iram, ſimultatem, odium deponant: ſiquidem fortius viroruſ eſſe, ſeipſoſ umcere. Dicimus impiuſ eſſe, Christianum cum Christiano diſſidere, cū utruq; Christuſ ſuo ſanguine coniuixerit: ipſe enim eſt pax noſtra. Oſtendimus multa incommoda, quæ ex illis odijs mutuis, ſimultatibus, glificant: facile uero eos poſſe reconciliari docemus, ſi modo utriq; quicquid ultro ci troq; moleſtiarum ſit, animo expuerint: nos & alioſ bonoſ uiros, quod æquum ſit utriq; pronunciatiuros.

Exhortatoriæ quoq; & dehortatoriæ loci ſunt, qui suazorie & diſuazorie.

Eraſmus hoſ locos enumerat.

Laude Rei: ut ſi res pia, honesta, iucunda,

CHRISTOPH. HEGEN.

gloriosa, &c. sit.

Personæ.

Spem honorum Odium inimicorum,  
Metum malorum, Considerationem,  
Amorem eorum quorum Aemulationem,  
gratia res aliqua subitur, Expectationē inimicorum.

Exemplum apud Erasnum offendit,

Cic. li. Epist. 2. epistola que incipit, Epistolaram &c.  
Est enim tibi grauis aduersaria constituta et parata in  
credibilis quædā expectatio, quā tu unā re facilime vī  
ces, si hoc statueris: quarū laudū gloriā adamaris, &c.

C. PLINIUS OCTAVIO  
SUO S. D.

**N**ominem te patientem, uel potius durum ac pe-  
nè crudelē: qui tam insigne libros, tam diu te-  
neas: quo usq; et tibi & nobis inuidebis: tibi maximam  
laudem, nobis uoluptatem. Sine per ora hominū feran-  
tur; iisdemq; quibus lingua Romana spacijs perungen-  
tur, magna etiam longaq; expectatio est, quam frustra  
ri adhuc, & differre non debes. Enotuere quidam tui  
uersus, & inuitò te claustra refregerunt: hos nisi re-  
trahis in corpus, quandoq; ut errores aliquem, cuius di-  
cantur, inuenient. Habe ante oculos mortalitatem, à  
qua afferere te hoc uno monumento potes. Nā cetera  
fragilia & caduca, non minus quam ipsi homines occi-  
dit, desinuntq;. Dices, ut soles, amici mei uiderint: opto  
equi

equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam labo-  
riosos, ut tanū curae intentionisq; suscipere & possint,  
& uelint: sed dispice, ne sit parum prouidum sperare  
ex alijs, quod tibi ipse non praestes: & de editione qui-  
dem interim, ut uoles, recita saltem, quo magis libeat  
emittere, utq; tandem percipias gaudium, quod ego  
olim pro te non temere presumo. Imaginor enim qui  
concursus, que admiratio te, qui clamor, quod etiam  
silentium maneat: quo ego, cum dico, uel recito, nō mi-  
nus quam clamore delector: sit modo silentium acre, et  
intentum, & cupidum ulteriora audiendi: hoc fructu  
tanto, tam parato, desine studia tua infinita ista cuncta  
tione fraudare: que cum modū excedit, uerendū est ne  
inertiae & desidie, uel etiā timiditatis nomine accipiat.

## EXEMPLVM EPISTO-

la Dehortatoria.

Bella uero res est, quod tu, ut audio, dies noctesq;  
ebrietati deditus es: an non uides quam turpis res sit,  
quam homine indigna: Etenim homo una ratione cæte-  
ris animatibus anteit. Hæc uero uini iuxta cereuisiæq;  
ingurgitatione adeo obruitur, ut ex homine porcus  
quidam Acarnanius reddatur. An nō uero te ab ebrie-  
tate deterrent tot malorum agmina, que Plinius libro  
24. recenset? Hinc, inquit, pallor & genæ pendula, ocu-  
lorum ulceræ, tremulæ manus, effundentes plena uasa,  
et furiales somni, et inquietæ nocturnæ hæc ille. Et quid

## CHRISTOPH. HEGEN.

obsecro inimici tui, qui tuam uitam adeo obseruant, di-  
cturi sunt: Imo quid et amicissimi tui dicent? En hic  
nos ab ebrietate auocare deberet, et nemo est qui eam  
impensis amet, colat. Quid huic credemus, qui sem-  
per ebrius est? Ebrij uero non raro cum Parmenone Te-  
rentiano nihil tacere possunt, quantumvis arcanum,  
quantumvis bona fide illis creditum. Tu si sapis, uide  
sobrius magis post hac, quam ebrius conficiaris. Vale.

## PETITORIA.

Petimus honesta, utilia, facilia et factu et pree-  
stitu, possibilia, necessaria.

## E X E M P L V M .

Petit amicus sibi decem aureos mutuo dari.

Quod ego tibi ultro deferrem, si facultatum mea-  
rum esset, id non dubito, quin et tu mihi lubens dela-  
turus sis, mi Petre. Opus est mihi decē aureis, quos oro  
ut mihi des mutuo: non dici potest, quam illis egeam.  
Etenim domi ne obulus quidem amplius mihi est, et ut  
scis mihi multi sunt liberi, multæ operæ, quibus uictus  
suppeditanus est: non querunt unde habeas, sed opor-  
tet habere. Neq; uero tibi homini tantum non cum  
Cresco conferendo, difficile factu erit, decem aureos  
hominis et egenis et amici usibus exponere. Tu sane  
non decem, sed ducentos citra tuarum rerum dispen-  
diuum, mihi utendos dare posses: sed parum abs te peto  
ut minore negotio impetrem. Quot uero mihi commo-  
ditates

ditates parua ista pecunia allaturus sis, uide: meam exi  
stimationem, ne omnino eleuetur, conseruabis: liberi,  
operæ, uxor, ne fame pereant, caueris: me in tuo, quod  
aunt, ære esse facies. Vbi uicissim, si non pecunia, at  
industria, cōsilio, literis, si quas modo calleo, tibi tuisq;  
consulere potero, dispeream, si non me tuum esse dixe=  
ris. Vale.

Seruius, id quod & Erasmus obseruauit, enarrans  
orationem illam lunonis in i. Aeneid. Acole, &c. di-  
cit, id quod petimus, possibile, & iustum esse debere,  
tum modum præstandi præscribendum, postremo remu-  
nerationem addendam.

## E X E M P L V M.

Optime uir, est quod à te petam. Sycophanta quem  
nasti, mihi multis modis molestus est: quare te peto quo  
illum compescas, ut molestarum finem faciat. Ecquid  
uero iustius, quam amicū amico aduersus Sycophantæ  
oblataiones patrocinari? Ut uero patrocineris, ni=  
hil facilius: noui enim autoritatem tuam: admone sal-  
tem hominem istum, quem nasti, ut linguae imperet, ut  
maledicendi finem faciat: admonebis uero ipsum, cum  
te, ut solet, salutandi gratia accesserit: ego uicissim sedu-  
lo quæ uoles faciam.

In epistola petitoria sæpe demonstrati=  
uæ locis utimur.

C. PLINIUS MAXIMO SVO S.

15

CHRISTOPH. HEGEN.

**Q**uod ipse amicis tuis obtulisse, si mihi eadē materia suppeteret, id nunc iure videor a te meis perituras. Arrianus Maturius Altinatū est princeps: cum dico princeps, non de facultatibus loquor, quae illi largae supersunt, sed de castitate, iustitia, gratia, prudentia. Huius ego consilio in negotijs, iudicio in studijs utor: nam plurimum fide, plurimum ueritate, plurimum intelligentia prestat: am: ut me (nihil possum dicere ardentius) ut tu: caret ambitu, ideo se in eques- tri gradu tenuit, cum facile posset ascendere altissimū: mihi tamen ornatus, extollendusq; est. Itaq; magni existimo, dignitati eius aliquid astruere inopinantis, ne scientis, imo etiam fortasse nolentis: astruere autē quod sit splendidum, nec molestum, cuius generis, quae prima occasio tibi, in eum conferas rogo. Habebis me, ha- bebis ipsum gratissimū debitoyē: quamvis enim ista non appetat, tam grātē tamen accipit, quam si cōcupiscat.

COMMENDATORIA.

Quael aliquam personam, uel alicuius ingenium commendamus.

